ſulem Joannem ſcelerate occiderunt Vicentini cives, cujus mentio fit *in cap. ad aure* 12. *de pœnis.*

2 c *Excommunicationis.*) Interficientes enim Epiſcopum excommunicationem majorem incurrunt, beneficiiſque, & feudis Eccleſiaſticis privantur, *c. attendendum* 13. *c. ſi quis deinceps, c. qui Subdiaconum* 17. *q.* 4. *c. infames* 17. 6. *q.* 1. *c. nulli* 11. 3. *q.* 4. infamia notantur, *leg. ſi quit hoc* 10. *C. de Epiſcop. & Cler.* unde arcentur ab honoribus, & jurepatronatus, *c. minor* 8. 17. *q.* 4. plura de hoc nefando crimine cumulant Anton. Auguſt. *in epit. juris*, 3. *p. l.* 35. *titul.* 1. Gibalinus *in ſynopſi cenſur. verbo Cardinalis* Petrus Gregor. *l.* 4. *part. tit.* 14. *c. fin. & de benef. c.* 26. Spondan. *in continuat. Baronii, anno* 1104. *n.* 21.

d *Adſtrictus.*) Valide tamen contraxit matrimonium, quia excommunicatus valide illud contraxit, quatenus eſt contractus, *c. ſignificaſti, de eo qui duxit in matrimonium, quam prius*, Covarruvias 5. *part. de matrim. c.* 6. *n.* 6.

COMMENTARIUM.

3 *Concluſio probatur & traditur.* EX hac decretali epiſtola talis deducitur aſſertio: *Excommunicatus in judicio, niſi tamquam reus ſtare non poteſt.* Probant eam textus *c.* 1. *c. cum inter, c. exceptionem, de except. c.* 1. *eodem tit. in* 6. *c. fin. de judic. c. per tuas* 4. *de ſent. excomm. c. decernimus, eodem tit. in* 6. *c. ſciſcitatus, de reſcriptis, ad c. probandum, de re judic. c.* 1. *de ſupplenda neglig. l.* 6. *c.* 1. *de offic. vicar. eodem l. c. excommunicamus, §. credentes, de heretic. c.* 2. *de ordin. cognit. in* 5. *compil. c. revera* 3. *q.* 9. *Clement.* 1. *de except. c.* 1. *de reſcript. in* 6. conſonat textus *in leg.* 4. *titul.* 10. *l.* 2. *fori, leg.* 187. *ſtyli.* Illuſtrant Moneta *de commutat. ultim. volunt. c.* 4. *n.* 312. Suarez *de cenſur. diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 1. Avila *eodem tract.* 2. *p. c.* 6. *dub.* 7. *diſp.* 7. Gibalinus *eodem tr. diſp.* 2. *q.* 8. *n.* 274. Hurtado *de excommunic. diſp.* 8. *difficult.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 109. Cujacius *in præſenti, & in c.* 2. *de exceptionibus*, ubi plures congerunt, Garanna, Barboſa, & Fermoſinus: plures congerunt, Leander *de cenſuris diſp.* 12. *q.* 1. Ricciulus *de jure perſonarum l.* 4. *c.* 31. Rodericus Suarez *allegat.* 31. Manrique *de different. q.* 54. Paz *in l.* 176. *ſtyl.* Genuenſis *practic. q.* 23. Oſualdus *l.* 17. *Donello, cap.* 4. *littera G.* Salgado *de protect. regia, p.* 1. *c.* 2. *n.* 165. Petr. Gregor. *l.* 49. *ſyntagmatum, c.* 2. *n.* 2. Boetius Epon. *in c. adverſus* 7. *de immunit. Eccleſ. num.* 13.

4 *Impugnatur hæc aſſertio.* Sed hæc aſſertio licet vera ſit, itaque firmata, difficilis valde redditur ſequentibus conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo; nam ſi excommunicatus non poſſet, ut actor in judicio comparere, ſequeretur ut acta judicialia ab eo nulla eſſent, argumento legis *non dubium, Codic. de legibus*: textus diſertus ab ſpecie *in c.* 1. *de reſcriptis, l.* 6. Sed acta ab excommunicato in judicio, dum non opponitur exceptio excommunicationis, valida ſunt, & ſubſiſtunt, *c.* 1. *de except. lib.* 6. docent Suarez, Marinus Alterius, Avila, & alii relati a Vega *in præſenti*: igitur quia excommunicatus valide poteſt jus proprium tamquam actor in judicio proſequi. Secunda ex eo provenit, nam ut infra latius dicemus, prohibitum eſt excommunicato agere in judicio, ne detur occaſio communicandi cum ipſo: ſed reus per Procuratorem in judicio reſpondens non communicat, ut in hoc textu docetur: igitur ſicut reus mediante procuratoris perſona in judicio eſſe poteſt, ita & actor.

5 *Excommunicatus arcetur a judicio.* Adhuc tamen dicendum eſt, excommunicatum, niſi tamquam reum non poſſe ſtare in judicio, non tamquam judicem, ſive ordinarium, ſive ut delegatum, *c. ſciſcitatus, de reſcriptis d. c. ad probandum de re judic. c.* 1. *de ſupplend. negl. lib.* 6. *c.* 1. *de offic. vicar. eodem lib.* docent plures congeſti a Ricciulo *de jure perſon. lib.* 4. *c.* 17. 18. *&* 19. Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſp. & §.* 7. *num. fin.* late dicemus *in d. c. ad probandum*: neque ut Advocatus, *dict. cap. decernimus, de ſentent. excomm. in* 6. *cap. excommunicamus, §. credentes, c. final. ne cleric. vel mon.* Cum enim patrocinium non poſſit præſtari ſine aſſidua communicatione, *leg. providendum, C. de poſtulando, leg.* 1. *Codic. dict. advocat. diverſ.* ideo excommunicatus tamquam advocatus a judicio arcetur, & a judicio ex officio repelli poſſe docent Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 21. Leander *de cenſur. dict. diſp.* 12. *quæſt.* 26. 27. *&* 28. Gibalinus *d. p.* 2. *diſput.* 7. neque ut teſtis admittitur, *dict. c. decernimus, cap. licet, c. teſtimonium, cap. veniens, el* 2. *de teſtibus*, docet Farinac. *de teſtibus quæſt.* 56. excepta cauſa hæreſis propter fidei favorem, *c. in fidei, de heret. in* 6. Gibalinus *ubi ſupra*, 6. *p. diſquiſit.* 7. Leander *ubi proxime, q.* 30. *uſque ad* 44. neque ut tabellio, Ricciulus, *d. lib.* 4. *c.* 30. Gibalin. *ubi ſupra*, Leander *d. diſput.* 12. *q.* 17. nec ut procurator *c. poſt ceſſionem* 7. *de probat.* Ricciulus *d. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 12. nec tandem ut actor in judicio comparere valet, ut ex noſtro textu, & ſupra citatis, ſive per ſe agat, ſive per Procuratorem, *cap. final. de procurat. c. dilectus, de accuſat.* Si enim per ſe comparere non poteſt in judicio, neque per alium *cap.* 1. *de offic. vicar. in* 6. præcipue cum in judicio eadem ſit conditio procuratoris, ac domini, *c. licet, de teſtibus, l. alia, ff. ſoluto matrim.* quod procedit, ſive actor civiliter agat, ſive criminaliter; excommunicatus enim non poteſt alium accuſare, *cap. cum dilectus, de accuſat. c. a nobis, de except. c. exhibita, de judiciis*: ſive ſuam, ſive ſuorum injuriam proſequatur, Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 31. *num.* 9. licet enim aliæ inhabiles perſonæ ſuam, vel ſuorum injuriam proſequentes admittantur ad accuſandum, *l. his tamen, de accuſ. l. non ignorat C. de his qui accuſar. c. omnibus* 4. *q.* 6. *cap. de cetero de teſtib.* excommunicatus tamen ob periculum communicationis arcetur ab accuſatione. Plaza *de delictis, lib.* 1. *c.* 44. *num.* 10. Farinacius *dict. q.* 12. *num.* 31. neque tamquam fiſci Patronus, Riccius *d. cap.* 31. *num.* 13. etiamſi accuſaſſet alium ſimiliter excommunicatum; nam excommunicationes invicem non compenſantur. Ampliatur hæc doctrina ut procedat, ſive excommunicatus agat coram judice ſæculari, ſive coram eccleſiaſtico, *lege placet*, ubi Doctores, *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* late illuſtrat Manrique *de different. utriuſque fori, ubi ſupra*, vel poſſeſſorio judicio agat, ſive tantum ad manutentionem, Ricciulus *d. cap.* 22. *n.* 19. nec reconvenire poteſt, nam mutua petitio actio eſt *c.* 2. *de mutuis petit. cap.* 2. *de ordin. cognit.* & licet defenſio excommunicato concedatur, *cap. ſignificaverunt, cap. dilecti, hoc titul.* reconventio enim non tam defenſio eſt, quam nova actio *cap. cum inter, de except.* etſi excommunicatus reum ad judicium vocaverit, reus opponere poteſt exceptionem excommunicationis, non ſolum in ingreſſu litis, verum in quacumque parte judicii, etiam poſt concluſionem in cauſa, *cap. exceptionem, hoc titul. c.* 1. *eod. tit. lib.* 6. *cap. prudentiam* 21. *§. ſexta, de offic. deleg.* Excommunicatus vero tamquam reus in judicio vocatus poteſt comparere, & opponere exceptiones ſibi competentes ex hoc textu, *dict. capit. excommunicatus, §. credentes, capit. cum inter, cap. ultimo, de except.* poterit ergo judicem recuſare, aut ab ejus ſententia appellare, *d. capit. cum inter*, & omnes exceptiones propriam defenſionem reſpicientes opponere, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. ut ſunt exceptio non numeratæ pecuniæ, rei non traditæ, ſolutionis, præſcriptionis, compenſationis, pacti de non petendo, rei judicatæ, & ſimiles, quas recenſet Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 33. Item poteſt ut procurator adeſſe, non autem provocare in judiciis promiſcuis familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, in quibus judiciis reus ſimul eſt actor, *l. judicium* 10. *ff. finium regund. l.* 2. *§. familiæ, l. inter* 44. *§. qui familiæ ff. famil. erciſc l. actionis* 37. *§. incerta, ff. de oblig. & act. c. ex litteris, de probat.* Barboſa *in cap.* 2. *a n.* 54. *de except.* Hæc procedunt in reo neceſſario, contrarium vero in reo voluntario, qui in judicio ſiſtit ob ſuam utilitatem, ut in caſu textus *in c. exhibita* 19. *de judiciis, leg. diffamari, C. de ingenuis, & manumiſſ.* cujus legis remedio excommunicatus uti non poteſt. Ricciulus *d. cap.* 33. Gibalinus *ubi ſupra, pag.* 274.

His animadverſis apparet ratio præſentis deciſionis; nam cum prohibita ſit communicatio majori excommunicatione ligato, non ſolum in divinis officiis, *cap. ſignificavit, de ſent. excomm.* verum etiam in aliis humanis actibus, politicis, & privatis, *c. ſicut Apoſtoli, c. excommunicatos, c. cum excommunicato*, 11. *q.* 3. late probabimus *in c. ſacris, de his quæ vi*; prohiberi etiam debuit hujuſmodi communicatio in judicio: unde recte deducitur in præſenti, excommunicatum actionem intendere in judicio non poſſe, ne adverſarius, & alii judicio intereſſentes cum animæ periculo communicare cogerentur, *c. exceptionem* 12. *de except.* docet Farinacius *in praxi, q.* 12. quod adeo verum eſt, ut parte non opponente excommunicationis exceptionem, judex officio eum repellere valeat. Gibalinus *ubi ſupra, p.* 270. Hodie tamen poſt extravagantem, *Ad evitanda, de ſent. excommun.* hucuſque tradita procedunt, ſi excommunicatus ſit denuntiatus; ſi autem toleratus reperiatur, & adverſarius non opponat excommunicationis exceptionem, acta in judicio cum ipſo vires habent. Ricciulus *d. c.* 31. nam licet ipſe toleratus licite non adſit in judicio, quia prædicta conſtitutio Joannis XXII. non emanavit in favorem excommunicatorum, ſed eorum qui cum illis communicant; tamen valida eſt: ſed ſi conveniatur excommunicatus, poteſt tamquam reus in judicio comparere; nam tunc non voluntarie, ſed coacte in judicium rapitur, *l. inter ſtipulantem* 83. *§. Stichum, ff. de verb. oblig.* ideo ne commodum ſentiat ex proprio delicto, contra regulam textus *in l. itaque fullo ff. de furtis*, debet vocatus in judicium venire; & cum invitus compareat, poteſt opponere exceptiones ſibi competentes, quia omnis defenſio illi conceditur, *Clement. paſtoralis, §. ceterum, de judic.* docent Cavallerius & Vega *in præſenti*, Garanna & Barboſa *in d. c.* 1. *de except.* 6 *Traditur ratio decidendi.*

Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima, nam verum eſt, acta ab excommunicato in judicio, non oppoſita excommunicationis exceptione, valida eſſe, poſtea tamen exceptione oppoſita, & probata, irritari: nec contrarium probat textus *in d. cap.* 1. *de reſcript. in* 6. quia ſpecialiter procedit in excommunicato, qui ipſa cenſura innodatus impetravit reſcriptum Pontificium; geſta enim in judicio ab eo virtute ipſius reſcripti nulla ſunt ipſo jure, quia excommunicatus nequit impetrare reſcriptum, ut probavi *in c. nonnulli* 27. *§.* 1. *de reſcript.* quare cum reſcriptum nullum eſſet, geſta ejus intuitu vires non obtinent, ex defectu juriſdictionis in judice delegato: docet Ricciulus *d. lib.* 4. *de jure perſon. c.* 38. Nec adverſatur ſecunda difficultas; nam licet aliqui ex Interpretibus ex illis verbis hujus textus, debere per alium reſpondere exiſtiment excommunicatum, & in judicio vocatum cogi procuratorem conſtituere, per illumque ſe defendere, quia verbum, *debet*, importat neceſſitatem, Gloſſa *verbo debet, in Clement. attendentes, de ſtatu monach.* Tiraquellus *de retract. §.* 1. *gloſſ.* 15. præcipue quia cum ſtatuitur in jure, debere conſtitui procuratorem in judicio, ut in caſu textus *in c. quia Epiſcopus* 5. *q.* 3. *c. paſtoralis, hoc tit. leg. Papinianus, ff. de minor. leg. quicumque, C. de procurat.* præciſe conſtituendus eſt procurator: nihilominus dicendum eſt, excommunicatum in judicio vocatum per ſe poſſe comparere, & exceptio- 7 *Reſpondetur difficultatibus.*

ceptiones in judicio opponere in omnibus illis caſibus, in quibus alii non coguntur litigare per procuratorem: quia licet verbum, *debeo*, plerumque inducat neceſſitatem *cap. propoſuit, §. ſuper quo, cap. oblata, de appellat.* frequentius tamen in jure importat tantum decentiam, & quod magis congruum videtur, *l. non ſolum, §.* 1. *ff. de novi oper. nunc.* Gloſſa *in cap.* 1. 15. *quæſt.* 1. & *in cap.* 1. *de deſponſ. impub.* Barboſa *de diction. dict.* 77. *num.* 79. Unde ſi excommunicatus commode poteſt per idoneam perſonam defendi, debet eam in procuratorem conſtituere; ſi vero non habeat idoneam perſonam, poteſt exceptiones per ſe objicere: Gibalinus *de cenſur. p.* 275. Ricciul. *de jure perſon. lib.* 4. *c.* 37. huic deciſioni opponi ſolent textus *in c. cum contingat* 36. *de off. deleg.* cujus interpretationem tradit Vega *in præſenti, c. examinata, hoc tit.* quem exponunt Garanna, *in d. c.* 2. *de exceptionibus*, quibus addendi ſunt alii a nobis adducti *in c. nonnulli, de reſcriptis*, & *in c.* 2. *cum inter* 5. *de exceptionibus, c. adverſus, de immunit. Eccleſ.*

CAPUT VIII.

a Lucius III. *Strigon. Archiepiſcopo.*

b CLerici vero, maxime in criminalibus, in nullo caſu poſsunt ab alio, quam eccleſiaſtico judice condemnari, etſi conſuetudo c regia habeat, ut fures d a judicibus ſæcularibus judicentur: cum e Imperator dicat, quod etiam leges eorum non dedignantur ſacros canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine clericus debeat coram eccleſiaſtico judice conveniri, nec debeat in parte canonibus ex aliqua conſuetudine præjudicium generari.

NOTÆ.

1 a STrigon.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 8. de Eccleſia Strigonenſi aliqua notavi *in c. bonæ, de poſtulat. Prælat.*

b *Clerici vero.*) Manifeſte liquet ex his verbis, in præſenti deciſione deeſſe aliam ejus partem, quæ extat *in c. Apoſtolicæ, de decimis*, quæ conjungenda eſt cum hoc textu.

c *Regia.*) Ungarica videlicet.

d *Fures.*) Qui ſi laici ſunt, puniri debent a judicibus ſæcularibus, cum delictum mere civile ſit, ſeu temporale, ut cum aliis docet D. Joſeph Vella *in c.* 1. *de offic. ordin. c.* 1. *n.* 31. ac etiam notavi *in c.* 1. *de offic. ordin.*

e *Imperator.*) Juſtinianus *in novell.* 83. *cap.* 1. cujus pars reperitur *in c. ſi quis eum*, 45. 11. *q.* 1. in illis verbis: *Secundum ſacras, & divinas regulas, quas etiam noſtra ſequi non dedignantur leges.* Quæ verba reperiuntur *in l. ſacris*, 45. *C. de Epiſcop. & Cleric. cap.* 2. *de jurament. calumn. c. fin. de ſecund. nupt. novella* 5. *Juſtin. aurea Niceta Imperatoris*; notavit Riterurſius *ad Salvianum p.* 591.

COMMENTARIUM.

2 *Concluſio proponitur, & probatur.* EX præſenti textu ſequens deducitur aſsertio: *Clericus de omni crimine debet coram Eccleſiaſtico judice conveniri, non obſtante contraria conſuetudine.* Probant textus *in c. de presbyteris*, 28. *diſt. c. ſatis* 7. *diſt.* 97. *c.* 1. *c. nulla* 6. *c. nullus* 8. *c. relatum* 14. *c. clericus* 48. *& fere per totam* 12. *q.* 1. *c. ſicut* 15. 96. *diſt. c.* 1. *c.* 2. *& fin.* 21. *q.* 5. Concil. Carth. 3. *can.* 15. „ Clericus qui de crimine poſtulatus apud judicem ſæcularem ſe purgat, amittat locum ſuum. *Matiſcon.* 2. can. 10. Quod de Epiſcopis cenſuimus, vim obtineat & in Clero, ut neque Presbyter, neque Diaconus, neque Subdiaconus de Eccleſiis trahantur, aut injuriam aliquam inſcio Epiſcopo eorum patiantur: ſed quicquid quis adverſus eos habuerit, in notitiam Epiſcopi proprii, & ipſe cauſam juſtitia præeunte diſcutiens, animo clericos accuſantes ſatisfaciat. “ Cabilon. *can.* 15. Mogunt. *can.* 24. Salzeburg. *anno* 1386. *can.* 14. *c.* 2. *de foro compet. c.* 1. *eod. tit. in* 1. *collect. authent. ſtatuimus, C. de Epiſcop. & cler.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 20. Alia juris loca congerunt Antonius Auguſt. *in epit. jur. canon. lib.* 30. *tit.* 5. Goccius *tom.* 2. *theſauri, lib.* 8. *art.* 8. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in collect. ad hunc textum*, & 6. *tom. in ſelect.* Balboa, Garanna, Cavallerio, Fermoſino, & Caniſio in præſenti, Tyberius Decianus *lib.* 4. *praxis crimin. c.* 9. *per totum.* P. Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 4. *c.* 9. Suarez *adverſus Regem Angliæ, lib.* 4. *c.* 5. Loterius *de re benefic. l.* 3. *c.* 33. Azor. *tom.* 1. *inſtit. lib.* 5. *c.* 12. Pereira *part.* 1. *de manu regia, prælud.* 3. Gretheſerus *de immunit. Eccleſ. l.* 2. *per totum*, Michael Rouſſell. *lib.* 4. *hiſtor. Pontific. juriſd. c.* 2. *uſque ad* 4. Cohelius *in not. Cardin. capit.* 15. *congreg.* 4. Roa *de juribus Princip. q.* 2. *n.* 8. Anſaldus *de juriſdict. part.* 1. *cap.* 2. *cum ſequent.* Hieronymus Garcia *in ſumma, difficult.* 3. *dubit.* 2. *part.* 2. Tambur. *tom* 1. *de jure Abbat. diſp.* 15. *q.* 19. Caſtro Palao *tom.* 2. *tract.* 12. *diſput. unica*, Solorzanus *lib.* 4. *polit. c.* 27. Gabriel de Bellis *de jure ſacro cap.* 4. Robertus *lib.* 1. *rer. judic. capit.* 6. Delbene, Diana, & alii recentiores, de immunitate eccleſiaſtica agentes. Ægid. Carler. *in tractatione habita in Concilio Baſileenſi pro punit. peccat. public.* Beyerlinch. *in theatro, verbo Eccleſiaſtici*, Guazinus *de defenſ. reor. defenſ.* 1. *cap.* 2. Frances *de compet. q.* 40. *&* 93. Solorz. *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 27. Valenzuela *contra Venetos*, 4. *p. ex n.* 101. Germonius *lib.* 1. *de ſacr. immunit. cap.* 13. & *lib.* 2. *cap.* 15. & *lib.* 13. *cap.* 15. *per totum*, Salas *in* 1. 2. *tract.* 4. *diſp.* 14. Molina *tom.* 2. *de juſtit. diſp.* 31. Theophilus *tom.* 12. *tract. mala e bonis, c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 5.

3 *Traditur dubitandi ratio.* Sed in hanc aſſertionem ita illuſtratam pro dubitandi ratione ſic inſurgo. Sive priora, aut ſequentia Eccleſiæ ſæcula percurramus, inveniemus clericos, in cauſis præſertim criminalibus, coram ſæcularibus judicibus, non vero coram eccleſiaſticis fuiſſe accuſatos. Divus enim Paulus ad Gallionem Proconſulem Achajæ (qui Senecæ frater erat) cum deductus eſſet, & accuſatus, Proconſul reſpondit: Si ſcelus aliquod, aut crimen pœna dignum commiſit, ego illum puniam, & coercebo. *Actuum Apoſtol. cap.* 18. Cecilianus Carthaginenſis Epiſcopus accuſatus a Donatiſtis, & damnatus ab Arelatenſi Epiſcopo, a Coſtantino Imperatore poſt cauſæ diſcuſſionem fuit abſolutus, ut referunt D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Creſcentium*, Nicephorus Calixtus *l.* 7. *hiſtoria cap.* 3. Euſebius *l.* 10. *hiſtor.* Optatus Milevitanus *l.* 1. *collat. cum Donat.* Cyrillus Præſul Jeroſolymitanus, abſens damnatus in Synodo appellavit ad Imperatorem, quaſi ad majus tribunal, ut refertur *l.* 4. *hiſtor. tripart. capit.* 2. Dioſcorus etiam in Synodo damnatus, ad judices ſæculares tamquam ad ſuperiores appellavit, ut refert Nicephorus Calixtus *l.* 15. *hiſtor. capit.* 30. alia exempla refert Patr. Marca *l.* 4. *concord. cap.* 3. Igitur quia in cauſis criminalibus eccleſiaſtici coram ſæcularibus conveniri poſſunt. Augetur hæc dubitandi ratio ex novella 83. Junin. cujus meminit Lucius III. in præſenti; nam in ea ſtatuitur tantum in eccleſiaſticis delictis clericos eſſe conveniendos coram judice eccleſiaſtico: quod etiam cavetur *in authentic. clericus, Cod. de Epiſcop. & cleric.* Igitur propter furtum, quod eſt delictum temporale, cognitio competit judici laico. Secundo adverſus eam partem, ubi aſſeritur, non obſtante contraria conſuetudine judicem laicum non poſſe de criminali cauſa eccleſiaſticæ perſonæ cognoſcere, ſic argumentor. Hæc exemptio clericorum a juriſdictione ſæculari provenit a jure poſitivo, ex conceſſione Eccleſiæ, ut probant Menochius *remedio* 15. *num.* 210. Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſt. l.* 1. *capit.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de clericis, cap.* 28. Salas *de legibus, tractat.* 14. *diſp.* 14. *ſect.* 11. *numer.* 118. ſeu Imperatorum, ut vult Arniſeus *de exempt. cleric. c.* 3. Sed nemo ambigit, conſuetudinem legitime præſcriptam juri poſitivo derogare poſſe, *l. diuturna, l. de quibus, ff. de legibus, c. fin. de conſuet.* Igitur conſuetudine introduci poteſt, ut clerici etiam in cauſis criminalibus coram ſæculari judice conveniri poſſint. Augetur hæc difficultas ex eo; nam conſuetudo poteſt juriſdictionem tribuere illam non habenti, *capit. fin. de offic. Archidiac. cap. irrefragabili* 13. *de offic. ordin. cap. auditis, de præſcript.* in cauſis criminalibus judicandis, vel non, quam plurimum operatur conſuetudo, *c. cum contingat*, 13. *de foro compet.* Igitur & in regno Ungariæ conſuetudine introduci poterat, ut judices laici agnoſcerent de cauſis criminalibus in delictis temporalibus clericorum.

His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens deciſio, pro cujus illuſtratione ſciendum eſt, jam a primis Eccleſiæ ſæculis a ſanctis Patribus, Romanæque Eccleſiæ Præſulibus, & Imperatoribus fuiſſe cautum, aut ſtatutum, ne apud judices ſæculares clerici convenirentur, quod præcipue, & magna cura prohibuit Eccleſia, ne in cauſis criminalibus ad ſæcularia judicia traherentur. Cajus enim Pontifex anno 283. relatus *in cap.* 1. 11. *q.* 1. ſtatuit, ut nullus Epiſcopum, aut clericum apud ſæcularem judicem accuſare præſumat: confirmavit Marcellinus anno 296. relatus *in cap. clericum, ead. quæſt.* adjecta illa exceptione, niſi proprii Pontificis accederet conſenſus; quæ conſtitutio reperitur etiam in capitularibus Caroli Magni *l.* 6. *c.* 147. poſtea Sylveſter in Synodo Romana celebrata anno 324. *canone* 16. relatus *in cap. ſi quis* 10. 11. *quæſt.* 1. decrevit, ne eccleſiaſtica perſona, ut clericum accuſet; in Curiam intrare præſumat, ideſt in locum, ubi cauſæ criminales agitantur, ut interpretatur Polletus *l.* 1. *hiſtor. fori, capite quarto, in fine*, & in Concilio Carthag. III. celebrato anno 397. *capite nono*, relato *in cap. placuit*, 11. *q.* 1. ita cavetur: „ Item placuit, ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione; in civili vero perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit; “ ubi notavit Juſtelus. Chalcedonenſe *c.* 9. Alexander *in cap. relatum* 14. *dict. cauſa & quæſt.* conſtituit, clericos apud judices publicos non eſſe accuſandos, ideſt apud laicos, & ſæculares; in eo enim textu, & paſſim in ipſa quæſtione Judices publici opponuntur Eccleſiaſticis, & ſic pro ſæcularibus accipiuntur, ut *l.* 5. *capitul. cap.* 15. in illis verbis: *Ut omnes juſtitiam faciant, tam publici, quam eccleſiaſtici.* Et *l.* 6. *capit.* 106. *Ut Epiſcopi judices publicos commoneant, &c.* Et *in leg.* 12. *Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Cleric.* ait Ammianus ſpecialiter prohiberi, ne quis audeat apud judices publi- 4 *De origine, & progreſſu immunitatis eccleſiaſticæ.*

publicos Epiſcopum accuſare. Rationem hujus vocis, & prohibitionis tradiderunt Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius *in leg. 3. Cod. Theodoſ. de Epiſcopali judicio*, in illis verbis: *Habent illi judices ſuos, nec quidquam his publicis commune cum legibus*. Notarunt Vignonius *ad Marculfum lib. 1. capit. 3.* Bertrandus *de juriſperitis, in vita Marciani*, Turrianus *lib. 5. pro epiſt. Pontif. cap. 24. fol. 108.* Zerda *in adverſ. pag. 92. num. 9.* Judices etiam ſæculares, tam *in dict. cap. relatum*, quam *in c. Catholicos, 2. quæſt. 6.* accipi pro judicibus Gentilibus non baptizatis, probat late Mendoza *lib. 3. pro confirmando Concilio, c. 38.* Demum Sylveſter Papa *in c. nullius 33. 11. quæſt. 1.* conſtituit, ut nemo clericus, vel Diaconus, vel Presbyter, propter quamlibet cauſam intret in curiam, nec ante judicem civilem dicere cauſam præſumat; ubi legendum eſt, *judicem cinctum*, ut legitur apud Ivonem Carnot. *part. 6. Decreti, c. 334.* Cincti enim judices appellantur Magiſtratus laici, qui poteſtatem judicandi obtinent, Caſſiodorus *in Pſalm. 29.* illic: „ Sic enim cinctum „ dicimus judicem, quando ejus faſces, honoreſque declara„ mus. *Ivonem Carnot.* epiſt. 140. Facient hæc cincti judices, „ qui ad malorum vindictam gladium materialem portant. „ *Sidonium* lib. 1. epiſt. 7. Prius cinctus cuſtodia, quam po„ teſtate diſcinctus. *Et* lib. 5. epiſt. 7. Hi ſunt qui invident „ reverentiam clericis, originem nobilibus, conſeſſum prio„ ribus, congreſſum æqualibus, cinctis jura, diſcinctis privi„ legia. „ Notarunt Gironius *ad tit. de offic. ordin.* Juretus *ad Ivonem Carnot. epiſt. 241.* Savarus ad Sidonium *ſupra*. Hinc Nicolaus *epiſt. 7. ad Michaelem Imperat. c. 35.* D. Greg. *lib. 4. epiſt. 31. ad Mauritium*, multis rationibus ſatagunt Imperatoribus perſuadere, ut clericos honorent, non judicent. Refertur pars extremæ epiſtolæ *in c. ſacerdotibus, 11. quæſt. 1. cap. ſi quis 4. de foro competent.* Et in Concilio Matiſcon. 1. *relato in c. nullus 6. 11. quæſt. 1. & in c. 2. de foro competent. in 1. collect.* ſtatuitur, ut ſi quis clericus junior accuſaverit clericum apud judicem ſæcularem, una minus de quadraginta, ictus accipiat; quem canonem Deo volente illuſtrabimus *in c. 1. de calumniat.* Progreſſu temporis aliæ conſtitutiones emanarunt circa hanc immunitatem eccleſiaſticam erga perſonas uſque ad tempora Concilii Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. c. 20.* Bullæ Cœnæ Domini *clauſula* 15. quas referunt juxta temporis ſeriem Anton. Auguſtin. *in epit. juris Pontific. lib. 30. tit. 5.* Coriolanus *in breviario, anno* 314. *pag.* 67. Rouſſelius *lib. 4. hiſtor. c. 2.*

5 De imperatorum conſtitutionibus.

Imperatores etiam orthodoxi cognitionem cauſarum criminalium in perſonas eccleſiaſticas ſæcularibus denegarunt. Conſtantinus Magnus noluit de Epiſcopis, & Sacerdotibus accuſatis judicium proferre, nec cognoſcere, ne ſacerdotium vitiis publice patefactis, populus peccandi occaſionem arriperet: refert Theodoretus *lib. 1. hiſtor. eccleſ. c. 11.* & ex eo, & aliis tradunt Baronius *anno Chriſti* 315. Suarez *lib. 4. in defenſ. fidei, c. 12.* Balduinus *de legib. Conſtant. lib. 1. pag.* 47. Cujacius *in novell.* 79. Duarenus *libro 1. de ſacr. c. 11.* Anton. Auguſtin. *lib. 1. de amend. Gratiani, dialog. 6.* Joan. Caballutius *in notis ad Cabilon.* Germonius *lib. 2.* & prohibuit ne judices ſæculares de cauſis criminalibus Epiſcoporum cognoſcerent, *l. 12. Cod. Theod. de Epiſc. & cleric.* poſtquam enim Eccleſia Dei in gremio ſuo fovere cepit Imperatores & Principes terræ, magna cura, & ſolertia ſtabilire curarunt immunitatem hanc; quantum vero profeciſſent Pontifices in illis primis ſæculis Eccleſiæ, quando nondum fides radices egerat, & faciles ad diſſentiendum erant Principes, tenaceſque ad retinendam in clericos juriſdictionem, ex hiſtoriis facile percipi poteſt, dummodo ex illis jus non deducamus, ſed facta, quorum narratio ab hiſtoricis propoſita eſt. Conſtantinus enim accuſationem Epiſcoporum audire noluit, ſed ad Concilium remiſit, dicens: Vos Dii eſtis a vero Deo conſtituti. Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite; quia dignum non eſt, ut judicem Deos. Rufinus *libr. 10. hiſtoria Eccleſiaſt. cap. 2.* refertur *in cap. continua 5. §. Conſtantinus, cap. Sacerdotibus* 41. 12. *quæſtion.* 2. Non ergo auſus eſt de Epiſcoporum cauſa judicare, ut D. Auguſtinus inquit *epiſt. 66.* addendus etiam Sozomenus *lib. 1. hiſtoria cap. 16.* Quod poſtea idem Princeps Div. Athanaſii cauſam audierit, eumque in exilium miſerit obtentu ſedandæ perſecutionis, ut referunt Socrates *lib. 1. capit. 20.* Sozomenus *lib. 2. capit. 22.* Theodoretus *libr. 1. c. 26.* & alii diligenter relati a Baronio *anno* 329. & 339. nihil aliud probat, quam quod Ariani primum ſubterfugerunt Conciliorum, & Pontificis juriſdictionem, quam hodie nullus Catholicus Princeps ſibi præſumere auderet, diſſimulante magno Eccleſiæ Patre, & Antiſtite Athanaſio, exemplum Pauli ſecuto, ne indefenſus ſcandalum generaret parvulis. Simile exemplum eſt Juliani Apoſtatæ iterum ab Alexandria, & tota Ægypto Athanaſium pellentis, apud Rufinum *lib. 1. capit. 33. & 34.* Sozomenum *lib. 5. capit. 4.* Baronium *anno* 362. *numero* 50. Sed non magis probat poteſtatem hanc animadvertendi in Epiſcopum, quam in Conſtantino probavit, niſi quod extra Eccleſiam erat, & juris eccleſiaſtici, rationiſque divinæ nullam curam habebat. Quod ergo aliquando Conſtantinus de perſonis eccleſiaſticis per ſeipſum cognovit, ut ex poſtremo de Donatiſtis judicio patet, & ex correctione Synodi Tyriæ apud Socratem *l. 1.* & Sozomenum itidem *l. 1.* necnon ex allocutione increpatoria Cleri Nicomedienſis, apud Theodoretum *libro primo hiſtor.* non eſt cenſendus arrogaſſe ſibi judicium, ſed cum neceſſitas tulit, & obfirmatio rebellium fuit contundenda, interpoſuit ſuam ſæcularem poteſtatem. Itaque non recte ex eo Conſtantini facto Balduinus *libr. 1. de legibus Conſtant. pagin.* 58. cauſas eccleſiaſticas, & religionem ſpectantes extra dogmata judicio, & poteſtati Cæſarum concedit. Licet ergo primis illis ſæculis plena immunitate non gauderent eccleſiaſticæ perſonæ, ut liquet *ex capit. 1. 25. quæſtion. 5.* qui eſt D. Auguſtini, & notarunt Genebrardus *libr. 5. chron.* Gualtherus *ſæculo* 4. Gratianus tamen Valentiniani filius hanc exceptionem Epiſcopo conceſſam ad clericos protraxit, ut refert Suarez *dict. capit. 12. numer. 7.* probarunt, firmaruntque hanc ipſam exceptionem Theodoſius, & Arcadius *in leg. ultima Cod. Theodoſ. de Epiſcopali judicio*, tranſcripta a Gratiano *in capit. continua 5. 11. quæſtion. 5.* Fredericus *in authent. ſtatuimus, Codice de Epiſcop. & cleric.* & perpulchre hanc immunitatem miniſtrorum Eccleſiæ agnovit Baſilius Imperat. *in orat. habita in 8. Synodo*. Quid ceteri Imperatores Græci huic juri detulerint, diſcet qui legat caute quæ ſcripſit accurate Michael Rouſſellius *lib. 4. hiſtor. Pontific. juriſdict. cap. 2.* Sed quid debuerint ex jure facere, mellius colliget ex Balſamone *ad Canon. 15. Concilii Carthaginenſi 4.* Theodoricus etiam, cum apud eum accuſatus eſſet Auguſtanus Epiſcopus perduellionis criminis, tanti ſceleris cognitionem Epiſcopo Mediolanenſi commiſit, apud Caſſiodorum *lib. 1. epiſtol. 9.* & apud eumdem ipſe Theodoricus reſcribens Petro Epiſcopo *l. 5. epiſt. 37.* ait: „ Cauſarum veſtrarum qualitas vobis debet judicibus termi„ nari, unde expectanda magis, quam imponenda juſtitia „ eſt. „ Ariobaldus Arianus, Rex Longobardorum, referente Joan. Ablita *in vita Sancti Betolfi*, cum a quodam Epiſcopo urgeretur, ut monachos male haberet, reſpondit: Non eſt meum Sacerdotum cauſas diſcernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet judicare. Similiter Theodoricus Arianus conſultus a Synodo Palmarii, quid agi vellet in cauſa Symmachi Papæ; reſpondit in Synodi eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere. Eamdem immunitatem firmavit Carolus Magnus *lib. 2. cap. 38.* & *lib. 5. cap. 237.* & *lib. 6. cap.* 155. ubi ſtatuit, ut clerici, eccleſiaſticæque perſonæ, ſi culpam incurrerint, apud eccleſiaſticos, non apud ſæculares Magiſtratus judicentur. Praxim Galliæ quoad criminales clericorum cauſas referunt, & exponunt Rouſſel. *l. 4. hiſtor. juriſdict. Pontific. cap. 1. uſque ad 4.* Robertus *l. 1. rer. judic. c. 6.* Carolus Lebret. *l. 1. de la Souverain. c. 12.*

6 De eadem immunitate.

Quod diximus de univerſali Eccleſia, de noſtra Hiſpana dici poteſt, in Concilio quippe Toletano 3. *can. 13. & 20.* celebrato ſub Recaredo, & D. Leandro Præſide, æra 627. ſive anno 589. ſancitum fuit, ne clerici conclericos ſuos relicto proprio Epiſcopo ad judicia protrahere auderent, nedum PP. quicquam decreverant de laicis judicio pulſantibus clericos ſuper rebus profanis: quinimo Recaredus Rex miniſtris ſuis præcepit, ut exceſſibus eorum ſolicite, & ſancte invigilarent; quod eodem anno narrant Chronici ex actis ejuſdem Concilii, & præcipue extollit Baronius. Sed mirandum eſt uſque ad 4. Concil. Toletan. *canon.* 47. ſub Siſenando, anno 633. clericos indictionibus, & tributis immunes factos non fuiſſe, in quo eadem ſubeſt ratio; idemque de aliis nationibus obſervari poterit, cum quibus, utpote recenter converſis, in hac re minime actum fuit; ne novellæ plantæ vel ſuffocarentur, vel extirparentur, ſi omnino ex jure cum illis ageretur, & corruptela uſurpandi juriſdictionem in Eccleſiaſticos, funditus extirparetur. Procedente vero tempore totam ſuam poteſtatem Pontifices Romani, ſive epiſtolis decretalibus, ſive conciliaribus decretis exercuerunt, & rationem juris divini, quæ inducit ne eccleſiaſtici a laicis judicentur, ſanxerunt, pœnis excommunicationis, & interdicti, & aliis adverſus immunitatis violatores propoſitis: quod facere jure potuiſſe, nemo, ſi non hæreticus, vel Juris, aut Theologiæ ignarus, negare poterit, quia poteſtas eccleſiaſtica a Chriſto Domino eſt independens a juriſdictione ſæculari: ergo leges pertinentes ad juris divini explicationem condere poteſt, ut arguit Soto *in 4. diſtinct. 25. q. 2. articul. 2. verſ. ſexta concluſio*; & probant Victoria *de poteſt. eccleſiaſt. relect. 1. concluſ. 6. n. 5.* Salcedo *de lege polit. lib. 1. cap. 3. a n. 8.* Covarruvias *practic. cap. 31. n. 3.* Diana *7. part. tract. 1. reſolut.* 21. Tapia *tom. 1. catena mor. lib. 4. q. 11. artic. ult.* Martha *2. part. de juriſdict. c. 6. n* 24. arguens inconſtantiæ Covarruviam noſtrum: ſed quod dixit Covarr. conſentiente Imperatore, non pro neceſſario requiſito poſuit, ſed forſan ſic evenit ad evitandum contradictionis, & inobedientiæ periculum. Hinc originem habuit cenſura a Bonifacio VIII. prolata contra uſurpantes eccleſiaſticam, & in Eccleſiaſticos juriſdictionem, de qua *in c. quoniam 4. de immunit. Eccleſ. in 6.* quod extat tranſcriptum in Concilio Palentino, *tit. de foro compet.* & in Lateran. ſub Leone X. quotannis innovatur in cenſuris in die Cœnæ prolatis, *clauſ.* 18. & egregie in Concilio Trident. *ſeſſ. 25. de reformat. c. 20.*

7 Traditur ratio decidendi.

Hujus Immunitatis, & exemptionis, videlicet ne clerici, eccleſiaſticaque perſonæ in cauſis criminalibus coram judicibus ſæcularibus conveniantur, plures rationes adduci poſſunt. Prima, quia penes Eccleſiæ Prælatos eſt juriſdictio propria, & ordinaria a Chriſto Domino conceſſa in clericos, eccleſiaſticaſque perſonas, ut probavi *in c. 1. de offic. Ordin. c. decernimus, de judiciis*: unde laicalis poteſtas ad vindictam delictorum in eccleſiaſticis perſonis nec neceſſaria eſt, nec poteſt exerceri. Secunda ratio aſſignatur in Concilio Matiſcon. 2. celebrato anno 589. *canon.* 13. in illis verbis: „ Quia „ nefas eſt, quod illius manibus Epiſcopus, aut Presbyter de „ Ec-

„ cleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui „ invocato nomine Domini ad ſalvationem corporis, & ani„ mæ Euchariſtiam ſæpe porrexit; idque ab his maxime, „ quibus humanis tantum rebus, non divinis præeſſe conceſ„ ſum eſt. “ Quam etiam expreſſit Nicolaus *in cap. denique 5. 96. diſtinct.* Facit Tertul. *de fuga in princip.* dum ait: *Quid enim iniquius eſt, quam veri Dei Antiſtites nocentiſſimorum more tractari?* Et ſi apud Romanos Severus Imperator noluit Senatorem, niſi a Senatoribus damnari, teſte Spartiano *in Alexandro Severo*; nec Sacerdos ab aliis, quam Sacerdotibus judicari debet. Quæ ratio mire illuſtratur exemplo petito a miniſtris, & Sacerdotibus utriuſque religionis, tam Judaicæ, quam Gentilitiæ. Apud Judæos enim, & Levitas & alios templi miniſtros exemptos fuiſſe ab omni ſæculari poteſtate, late probat P. Menochius *lib. 1. de repub. Hebr. cap. 11. & lib. 2. polit. c. 5.* eam ab initio mundi fuiſſe ſtatutam probant Valenzuela *diſput. 4. num.* 81. Suarez *lib. 4. contra Reg. Angliæ, cap. 8. a num.* 13. Apud Gentiles etiam idem obſervari liquido conſtat; nam apud Romanos Veſtalium inceſtus tantum Pontifices vindicabant. Plutarchus *in Numa*. Pontifex Maximus judex, ac vindex erat contumaciæ privatorum Magiſtratuum, atque in alios omnes Sacerdotes habebat juriſdictionem. Tacitus *lib. 3. annal.* Valer. Maxim. *lib. 6. cap.* 9. Plinius Junior *lib. 4. epiſt.* 11. Si quid enim deliquerat Veſtalis, verbera ei a Summo Pontifice infligebantur. Julianus *epiſt. 49. ad Arſacium*. Alex. ab Alex. *lib. 2. dierum genial. cap.* 18. Illuſtrant Gutherus *de jure Pontif. lib. 2. cap.* 2. Juſtus Lipſius *de Veſta & Veſtalibus, cap.* 13. Germonius *lib. 1. de ſacror. immunit. cap. 4. 5. 7. & 13.* Multo ergo magis veri Sacerdotes, Catholicæ, Orthodoxæquæ Religionis miniſtri, ab omni prorſus ſæculari poteſtate immunes judicari, & venerari debent. Facit lex finalis Cod. Theod. *de Epiſc. aud.* fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Accedit, nam clerici ſunt pars hereditatis Domini, ſors ipſius, gens improfana, & ſacrata, *capit. clericos, 21. diſtinct.* Sed nefas eſt adhuc ex ratione naturali, rem rite conſecratam ad profanos uſus reducere, *cap. ſemel, de reg. jur. lib. 6. cap. nulli, cap. prædia, 12. quæſt. 2. cap. quæ ſemel 19. quæſt. 1. leg. ſumma, ff. de rer. diviſ.* Ergo idem de perſonis ſacratis dicendum eſt, quarum dignitas, & decor polluitur, ſi in tribunalibus ſæcularibus verſentur. Deinde ad Eccleſiaſtica munia peragenda multum, aut omnino conducit ut clerici ſubſint ſuis Prælatis, non aliis: ergo contra officium Eccleſiaſticorum eſſet, quod regerentur, judicarentur, & punirentur a ſæcularibus. Accedit, nam tanta eſt clericorum dignitas, ut quamcumque ſæcularem dignitatem præcellat. Quare in ſacris litteris appellantur genus electum, regale Sacerdotium. D. Petrus *epiſt. 1. capit. 2. cap. duo ſunt 12. quæſt. 1. c. unic. §. quia vero, de ſacra unctione*: pupillæ oculi Dei, *capit. 2. Zachariæ, capit. 2. Apocal.* filii Dei, *Pſalm.* 14. Chriſti & Prophetæ, *Pſalm.* 104. Angeli, *cap. 2. Malachiæ*. Plura præclara adducunt Pontifices, *in cap. novit, de judic. cap. ſolitæ, de majorit. & obed. cap. 1. in fine, diſtinct 27. cap. quis dubitet, 96. diſt. dict. cap. duo ſunt.* Sed eſt contra naturæ ordinem, ut inferior dignitate judicet ſuperiorem, quamvis non ſit officio ſuperior, ſed dignatione præcellentis hierarchiæ, ut probant Petrus Greg. *lib. 13. ſyntagm. cap.* 1. Menchaca *in præfat. illuſtr. controv. n.* 26. ergo contra eumdem ordinem eſt ut laicus judicet clericum. Accedit averſio laicorum erga clericos; illis enim infeſtos eſſe laicos manifeſte docet antiquitas, *c. laici 2. quæſt. 7. cap. cum laicis 13. de immunit. eccleſ. lib. 6. cap. clericos, de cenſibus, eod. lib.* unde non debebat illis permitti facultas corrigendi, & vindicandi ſcelera in eccleſiaſticis perſonis, & ſimul de eorum vita & moribus judicium proferre. Alias proſequuntur rationes hujus exemptionis Bellarminus *lib. 1. de clericis, cap.* 28. Suarez *in defenſione fidei, lib. 4. c. 9. & 11.* Germonius *lib. 3. de ſacror. immunitat. cap.* 13. Bobadilla *lib. 2. polit. c.* 18. Michael Rouſſel. *dict. c. 3. & 4.* Grethſerus *de immunit. eccleſ. lib. 2. per tot.* Ribadeneira *lib. 1. de Principe, c. 19. & 35.* Faciunt tandem horribilia exempla divinæ ultionis in hujuſmodi immunitatis violatores, quæ congeſſerunt Bredembachius *lib. 5. ſacrar. collat.* P. Euſebius Hieremberg. *tom. 3. viror. illuſtr. in vita Patris Baſilii de Avila*, Salina, *in Joanam, c. 1. q.* 74.

8 De diſpenſatione Pontificis.

Non tamen negandum eſt, adhuc poſſe, & ſemper potuiſſe ſupremum Eccleſiæ Hierarcham in eccleſiaſticas perſonas laicis mandare juriſdictionem, ſeu permittere, ſeu relaxare Principibus ſæcularibus, eorumque miniſtris, quoties major urget ratio quietis publicæ, & exempli, quam quæ exemptionem ſuadet: hoc enim jus, quod reductive appellamus divinum, non ſemper obligat, ſed quando non urget in contrarium fortior, ut variis exemplis probant Solorzanus *tom. 2. de jure ind. lib. 3. cap. 2. num.* 44. Martha *libr. 2. de juriſd. cap. 6. num. 31. & 32.* Salcedo *lib. 1. de lege polit. c. 3. num.* 15. Salgado *1. part. de protect. cap. 1. num.* 131. Sic videmus clericum incorrigibilem Curiæ ſæculari relaxatum *in c. cum non ab homine 10. hoc titul.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. c. 6.* conſtitutum eſt, ne prima tonſura initiati, vel in minoribus Ordinibus conſtituti privilegio fori gaudeant, niſi beneficium obtinuerint eccleſiaſticum, vel de licentia Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſerviant, vel in Seminario, Collegio, aut aliqua Univerſitate diſcendi cauſa exiſtant: Item de licentia Epiſcopi deferentibus habitum, & tonſuram clericalem, & clericis conjugatis nova forma datur. Sequitur, ut par eſt, Concilium noſtra lex *2. titul. 4. lib. 5. recopil.* qua ceſſarunt veteres de hac re controverſiæ, quas operoſe excitarunt Avendanno *1. part. de exequend. mandatis, c. 22. num.* 11. Covar. *practic. c. 31. & ſequentibus*, Sotus *in 4. diſtinct. 15. quæſtion. 2. articul. 2. ad finem*, cujus verba ſunt ſummopere notanda, ut obſervent judices qualiter ſe gerere debeant in re per Eccleſiam nondum permiſſa; nam quo tempore ſcripſit Sotus, nondum erat permiſſa, nec cito auſi ſunt rationes comminiſci, quibus falcem immittant in meſſem Chriſti; jam autem nemini dubium eſt, quin clerici iſti non gaudeant privilegio fori. Videndi ſunt noviſſime Tapia *tomo 1. catenæ moral. quæſt. 11. articul. 16. & 17.* Pereya *tom. 2. manu regia, per plures, quæſtiones*, Frances *in paſtor. regular. part. 3. voto 3.* Exinde etiam originem habuerunt Concordata, quæ vulgo dicuntur, cum Principibus Chriſtianis, ſuper juriſdictione ipſis permiſſa in Eccleſiaſticas perſonas, & res a ſancta Sede, qualia ſunt quæ refert ex Guillelmo Benedicto, Paponio, Rebuffo, & aliis Galliæ Doctoribus Michael Rouſſel. *lib. 4. hiſtor. Pontific. juriſdict. cap. 3. & 4.* quibus cavetur, ut omnes actiones reales pro dominio rei profanæ proponantur coram judice ſæculari; item ut ob delicta privilegiata, quæ vocant læſæ majeſtatis, ſacrilegii, falſitatis, & alia attrocia, puniantur clerici a judice ſæculari; in quibus delictis proculdubio potuerunt a Romanis Pontificibus clerici relaxari diſtrictioni ſæculari, ut ſupra dixi, & probat textus *in cap. ne liceat, 4. 17. diſtin.* An tamen relaxati de facto ſint, melius viderint illius Regni Judices. Non ignoro enim, pium, & perdoctum virum Innocentium Cironium *in parat. ad titulum de foro competenti*, dixiſſe hanc avocationem eſſe contra mentem canonum, quos citat *in cap. cum ſit generale 8. cap. 16. eodem titulo*, notatque olim injuria temporum, & ſuperbia imperantium factum fuiſſe, ut Pontifices ob majora evitanda damna ſinerent, ut ab Imperatoribus Eccleſiaſtici peterent judices, *capitul. placuit* 11. *capitul. placuit 43. capitul. ſi clericus 46. 11. quæſt. 1.* & alia quæ proculdubio effringunt immunitatem Eccleſiaſticam. Videndus Henriquez *lib. 2. Clavis, capitul. 15. num. 2. per totas fere gloſſas*, & *capitul. 20. ex littera, F, uſque ad litteram I.* Sed quando Romanus Pontifex ſcit, & patitur, inveteratiſque moribus hæc praxis recepta, retentaque eſt a Principibus, & judicibus catholicis, nolo alienis tribunalibus legem imponere, contentus adhibere cautelam doctiſſimi Soti *ubi ſupra*: qui cavet judicibus ſæcularibus nefas eſſe non ſervare leges immunitatis Eccleſiaſticæ, quamdiu durant, & a ſupremo Eccleſiæ Legislatore abrogatæ non ſunt; notandaque eſt declaratio Martini ad inſtantiam Caroli Regis Francorum facta in Bulla apud Salgadum *1. part. de protect. regia, c. 1. n.* 291.

9 Diſſolvitur prima dubitandi ratio.

Nec obſtat prima difficultas ſupra pro dubitandi ratione perpenſa, deductaque ex variis exemplis, ex quibus ſuadetur, ad Imperatores fuiſſe appellatum de cauſis criminalibus, tam Epiſcoporum, quam Sacerdotum; nam licet in his, & aliis contingeret ad Imperatores fuiſſe provocatum, non ideo appellatio interpoſita legitur, quia Imperatores in ſimilibus cauſis juriſdictionem haberent, ſed potius ut convocatis Eccleſiaſticis viris de juſtitia ſententiæ prolatæ a judice a quo cognoſcerent, cum aliter appellantes non poſſent de juſtitia ipſius ſententiæ coram Imperatore conqueri; unde non probatur, Imperatores juriſdictionaliter in ea cauſa proceſſiſſe. Nec refragatur argumentum deductum *ex dicta novella* 83. cui ſatisfacit Suarez *dicto libr. 4. in defenſ. fidei, capitul. 15. num.* 7. aſſerendo eam conſtitutionem abrogatam eſſe per Authent. *ſtatuimus, Cod. de Epiſcop. & cleric.* & Juſtinianum in præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ nihil ſtatuere potuiſſe. Sed ſi verum amamus, altius ratio ipſius conſtitutionis petenda eſt; cum enim Mena Patriarcha CP. ex defectu judicum Eccleſiaſticorum, qui non percallebant pœnas a legibus civilibus pro criminibus ſæcularibus impoſitas, petiiſſet ab Imperatore, ut laici judices cognoſcerent de criminibus ſæcularibus, ne delicta manerent impunita, ut ipſe Juſtinianus fatetur in illis verbis: *Petiti ſumus a Mena Deo amabili hujus feliciſſimæ civitatis, & univerſali Patriarcha hoc dare Privilegium*; Imperator conceſſit prædictam cognitionem judicibus ſæcularibus, non ut juxta juris tramites procederent; ſiquidem inſtantiæ duos menſes aſſignavit, illic: *Non tranſcendente lite menſium duorum ſpatium*, contra textum *in leg. properandum, Cod. de judiciis*; & tandem teſtatur Imperator juxta ſacros canones ſe id ſtatuere animo ſubjiciendi leges ſacris canonibus. Unde cum potius in favorem Eccleſiæ, quam in præjudicium immunitatis Eccleſiaſticæ conſtitutio illa emanaſſet, non eſſe neceſſarium recurrere ad ejus correctionem docuit Lotterius *libr. 3. de re benef. quæſt. 33. numer.* 6. Inficiari tamen nequit initio naſcentis Eccleſiæ de clericorum controverſiis Præſides extra ordinem cognoviſſe; unde Ulpianus Rhetor *in orat. Demoſthenis contra Midiam*, refert aſſeſſores juris peritos dari oportere Præſidibus ætate minoribus; ne quid in diſceptandis litibus ſæcularibus, aut clericalibus per ignorantiam juris peccent. Ulpianum autem illum fuiſſe Chriſtianum probat Cujacius *in cap. 1. de vita, & honeſt. cleric.*

10 Diſſolvitur dubitandi ſecunda ratio.

Difficilior eſt ſecundæ dubitandi rationis ſolutio, pro qua aſſignanda diſcutienda eſt illa ſatis vexata apud Theologos, & Canoniſtas quæſtio, utrum videlicet hæc exemptio clericorum a ſæculari juriſdictione proveniat a jure divino, an vero a poſitivo? Et affirmativam ſententiam, videlicet a jure divino provenire, docuerunt Gloſſa *in cap. ſi Imperator, 96. diſtin.* & *in cap. quamquam, de cenſibus, lib. 6.* Navar-

varrus *in capit. novit*, *notab. 6. de judic. num.* 30. Cohelius *in notis Cardin. cap.* 15. *congreg.* 4. Jul. Clarus *in tract. de immunit. Ecclef.* Bonacina *de cenſur. in Bulla Cœnæ*, *q.* 16. *ſectione* 1. *puncto* 2. Barboſa *lib.* 1. *juris Eccleſ. cap.* 39. §. 2. & *in c. Eccleſia*, *dicto c. quamquam*, Diana *parte* 1. *tract.* 2. *reſol.* 1. & *part.* 7. *tract.* 1. *reſolut.* 2. Lælius Jordanus *de major. Epiſc. cauſis*, *capit.* 8. Covar. *practic. cap.* 31. *n.* 1. Bellarminus *t.* 1. *controverſ. lib.* 1. *de clericis*, *cap.* 28. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 2. Valenzuela contra Venetos 4. *part. num.* 37. Luna & Arellano *lib.* 2. *antinom.* 2. plures quod referunt, & ſequuntur Carleval *de judiciis tom.* 1. *diſput.* 2. *num.* 395. Larrea *deciſ.* 4. *Gramat. num.* 19. Machado *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 14. *documento* 8. Lugo *de juſtitia tom.* 2. *diſtinct.* 36. *ſectione* 7. *num.* 10. Hieronymus Garcia *in ſumma*, *tract.* 1. *difficult.* 3. *dubit.* 2. *punct.* 1. Menchaca *de ſucceſ. creat.* §. 22. *n.* 58. Suarez *adverſus Regem Angliæ*, *lib.* 4. *c.* 9. Azor. *lib.* 5. *inſtitut. c.* 12. *q.* 1. Delbene *tom.* 1. *de immunit. Eccleſ. in princip.* Germonius *lib.* 3. *de ſacror. immunit. cap.* 15. Cabedo 1. *part. deciſ.* 83. *n.* 10. Bobadilla *tom.* 1. *polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 17. alii relati a Salinas *in Jonam*, *d. quæſt.* 74. *n.* 8. Pro quorum ſententia faciunt aliqua ſacræ paginæ teſtimonia. Primum pſalmi 104. ibi, *Nolite tangere Chriſtos meos*; ubi Vatablus legit; Ne attingatis homines mihi conſecratos. Secundum D. Matthæi *cap.* 17. illic: *Ergo filii liberi ſunt*; ubi per filios intelligi clericos docent D. Hieronymus ibi, D. Auguſtinus *lib.* 1. *in Evangel. q.* 23. faciunt textus *in c. in novo*, 21. *diſtinct. c. continua*, *c. Sylveſter*, *c. ſi Imperator.* 11. *qu.* 1. *capit. nimis* 30. *de jurejur. capit. quamquam*, *de cenſibus in* 6. ibi: „ Cum igitur Eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res „ ipſarum, non ſolum jure humano, quinimo & divino a „ ſæcularibus exactionibus ſint immunes. „ Concil. Lateran. ſub Innocentio III. *cap.* 46. aliud Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *ad finem*, Concil. Friſingenſe anno 1140. *can.* 3. „ Quia privilegium fori Eccleſiæ eſt immediate a jure divino, quan„ doquidem nec conſenſus, nec tolerantia excuſari poteſt, in„ hibemus ne quemquam clericum, aut perſonam Eccleſiaſti„ cam, Capitulum, vel Collegium quodcumque ad judicium „ forenſe trahat. *Colonienſe* part. 9. cap. 10. Immunitas Ec„ cleſiæ vetuſtiſſima res eſt, jure pariter divino, & humano „ introducta. „ Trident. *ſeſſ.* 20. *de reform. c.* 10. in quibus refertur hanc exemptionem clericorum a jure divino provenire. Unde aſſertioni tot Pontificum, & Eccleſiæ Patrum ſtandum eſſe, etſi nullo ſacræ paginæ teſtimonio expreſſe hæc immunitas ſtatuatur, probarunt Gregorius Sevac. *in defenſ. immunitat. Eccleſ. propoſ.* 5. Granados *in* 4. *part. D. Thomæ*, *controverſ.* 9. *tract.* 4. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 16. Duardus *in Bulla Cœnæ*, *lib.* 2. *can.* 5. *qu.* 18. *n.* 51. Valenzuela *contra Venetos part.* 5. *n.* 40. Ut de Principe aſſerente privilegium habere, etſi illud non conſtet, docuerunt Salgado *de reg. protect. p.* 1. *c.* 1. *n.* 27. Solorzanus *de jure Indiarum tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 7. Barboſa *de jure eccleſiaſt. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 63.

11 Proſequitur ſolutio. Contrariam ſententiam, videlicet exemptionem hanc a jure poſitivo provenire, defendunt Roa *de juribus Princip. q.* 2. *n.* 66. Alciatus *in c. cum non ab homine*, *n.* 39. *hoc tit.* Covar. *in practic. c.* 31. *n.* 2. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 9. *n.* 18. Vałaſcus *conſult.* 10. *n.* 8. Cevallos *practic. q.* 550. alii congeſti a Cenedo *in collect. ad Decret. collect.* 37. *n.* 1. Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 2. qui nituntur argumentis negativis, videlicet, quia nulla ſacræ paginæ auctoritate probatur hæc exemptio; prædictis enim verbis, *Nolite tangere*, pſalmi 104. tantum probatur, nullam injuriam eſſe irrogandam Sacerdotibus, non tamen eorum exemptio ſtatuitur, quæ eo tempore nota non erat; ſiquidem Regibus Sacerdotes parebant, ut probant Sixtus Senenſis *lib.* 5. *biblioth. SS. PP.* Abulenſ. *ſuper Joſue c.* 3. *q.* 17. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 9. *n.* 11. & videtur probari *ex lib.* 4. *Regum*, *cap.* 12. quidquid contrarium contendant Suarez *dict. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 21. Nec auctoritas D. Matthæi *dict. cap.* 17. hanc exemptionem evincit, ſiquidem Chriſtus Dominus in illis verbis, *Ergo liberi ſunt filii*, non loquitur de exemptione a ſæculari jurisdictione, ſed a tributis: nec Dominus abſolute loquitur de Sacerdotibus, ſed de ſeipſo, ut docent Janſenius *ſuper concord. in Evangel. cap.* 29. Salmeron *tom.* 6. *ſuper Threnos*, *colum.* 10. Bellarm. *d. cap.* 28. *colum.* 4. Quo modo etiam accipi poſſunt textus ſupra adducti pro affirmativa ſententia, in quibus non agitur de exemptione a juriſdictione ſæculari, ſed a tributis. Alii docuerunt, immunitatem hanc a jure poſitivo fuiſſe inductam, poſtulante recta ratione juri divino maxime congruente. Pereyra *de manu regia* 1. *p. cap.* 3. *n.* 3. Caſtillo *lib.* 2. *controv. c.* 5. *n.* 29. Morla *in empor. tit.* 2. *q.* 12. alii apud Dianam 1. *par. tract.* 2. *reſol.* 1. In hoc Interpretum diſſidio placet ſententia eorum, qui affirmant exemptionem eccleſiaſticam quoad ſpiritualia negotia a jure divino provenire; quoad cauſas vero criminales, & bona clericorum a jure poſitivo originem trahere, licet poteſtas ipſa eximendi eccleſiaſticas perſonas, eorumque cauſas a juriſdictione ſæculari, jure divino nitatur: ita docuerunt Victoria *relect.* 1. *de poteſt. Eccleſ. ſect.* 7. Bellarminus *dicto cap.* 28. *de clericis*, *propoſ.* 1. Molina *tom.* 1. *de juſtitia*, *tract.* 2. *diſput.* 31. *concluſ.* 2. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 18. *num.* 32. Chriſtineus *tom.* 1. *deciſ.* 203. Salcedo *de leg. polit. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 18. Anſald. *de juriſd. cap.* 2. *per totum*, juxta quam diſtinctionem dicendum eſt, clericos in cauſis profanis, tam civilibus, quam criminalibus, ut ſunt omnia delicta in Regem, vel proximum, non ratione miniſterii Eccleſiaſtici, ſed communia cum ſæcularibus, ut furtum, damnum injuria datum, ſive contumelia, rapina, item publica falſitas, cædes, & ſimilia: item in cauſis civilibus, ut contractibus, negotiiſque ceteris, & vindicationibus rerum, quas non peragunt ut clerici, ſed ut quælibet privatæ perſonæ, non eſſe exemptos, expreſſo Chriſti Domini, aut Apoſtolorum præcepto, ſed ſecundario per conſequentiam juris divini elicito, a Summis Pontificibus prolato, & ab Imperatoribus, Principibuſque Chriſtianis, vel tacito conſenſu, vel legibus latis approbato. Hoc autem jus non dicitur abſolute divinum, ſed reductive, videlicet quia ad jus divinum reducitur per conſequentiam, qua ſe exercet, & obligat, dum fortior ratio in contrarium non militat; quod ſi militet urgentior ratio, aut utilior, non obligat præciſe, ut exemplis ſacræ paginæ probari poteſt, Chriſtus enim Dominus, in cujus poteſtate omnia fuerunt, ſe in Prætorio Pilati ſtetit, judicis non tantum laici, ſed profani, ſummus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; & interroganti, an neſciret ſe in eum poteſtatem habere, directo non contradixit, ne ſcandalum paſſivum generaretur, ſed reſpondit apud Joannem *cap.* 19. *Non haberes poteſtatem ſuper me ullam, niſi deſuper*, *&c.* Negari autem nequit, potuiſſe Dominum palam Pilato dicere poteſtatem, quam exercebat, eſſe contra rationem naturalem, & juris divini; ſed ita cum ethnico diſſerere quid aliud erat, quam riſui divinam rationem exponere. Similiter etiam D. Paulus, ut refertur *Actuum Apoſtol. cap.* 25. ad Cæſarem provocavit, quia coram præſide intendens immunitatem eccleſiaſticam, quam ex ordinatione Dei Eccleſiaſtici habent, nihil proficeret, meliuſque fuit ut ipſius cauſa quadantenus judicaretur, quam ut indefenſus damnaretur, *capit. ſi in adjutorium* 7. *diſtinct.* 10. agnovit Martha *lib.* 2. *de juriſdict. cap.* 6. *numer.* 20. Negari etiam non poteſt, oppreſſa ab Infidelibus Eccleſia, Pontifices de hac exemptione parum curaſſe; adverſus Infideles enim qui arma Eccleſiæ nec reverebantur, nec agnoſcebant, quid facere, aut perficere poſſent Pontifices Maximi, & Eccleſiarum Prælati? niſi eos exacerbare, ut majoribus odiis Eccleſiam Dei perſequerentur: ceſſeruntque hujus immunitatis juri, propter evitandum majus damnum perſecutionis, quia ratio juris divini poſitis his circumſtantiis vincebatur ab alia fortiori: quem ſenſum habet doctrina D. Pauli *ad Romanos cap.* 13. ubi docet omnem animam poteſtatibus ſuperioribus ſubditam eſſe: ubi adjicit Div. Chryſoſtomus, omni animæ appellatione comprehendi Prophetam, Apoſtolum, Evangeliſtam; & paulo ante idem Sacerdotibus dixerat D. Petrus *epiſt.* 1. *can. cap.* 42. ubi ait omnes ſubditos eſſe ſublimioribus Poteſtatibus, etiam dyſcolis. Quæ ſententia omnimodam ſubjectionem olim ſignificavit; hodie tamen poſtquam Eccleſia defendere valet ſua jura, ſignificat naturalem ſubordinationem, & prout expedit politicæ gubernationi, ſine ſubjectione tamen juriſdictionali; non quia tunc juſte poteſtatem exercebant laici, ſed quia juſta metus, & coactionis ratione adacti Eccleſiaſtici, immunitatem ſtatui ſuo debitam vindicare non poterant, in qua diſſimulatione minime peccarunt, quia hoc jus reductive divinum non ſemper obligat. Qua ſententia retenta, non obſtat difficultas ſupra adducta; nam cum ad vim conſuetudinis exigatur ut ſit rationabilis, *cap. fin. de conſuet.* & nulla ratio dari poſſit ejus conſuetudinis, per quam immunitas eccleſiaſtica læditur, & præjudicium Eccleſiæ irrogatur, *cap.* 3. ubi plura adduxi, *de conſuetudine*; idem licet conſuetudo poſſit tribuere juriſdictionem judici incompetenti illam non habenti, non tamen poteſt reddere capacem judicem alias incapacem, ut late probant Pereyra de manu regia *tom.* 1. *prælud.* 3. Garcia ubi ſupra, Lotterius *dicta q.* 33. & conſuetudinem non poſſe tribuere juriſdictionem judici laico contra clericum, ſive in criminalibus, ſive in civilibus cauſis, probatur *ex capit. ad noſtram*, *c. cum inter*, *de conſuet. c.* 1. *de re judicat. in* 6. *authent. caſſa*, *C. de ſacroſ. Eccleſ. caſu* 15 *Bullæ Cœnæ Domini*: docent, & probant Suarez *lib.* 4. *contra Reg. Angl. c.* 32. *per tot.* Valenzuela *contra Venetos p.* 4. *a n.* 65. Diana *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 4. Grethſerus *de immun. lib.* 2. *conſil.* 23.

12 Exponitur can. 7. Concilii Matiſcon. Sed ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in can.* 7. *Concilii Matiſcon.* 2. in illis verbis: „ Nullus clericus, de qualibet „ cauſa extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui a ſæculari judice in„ juriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur: quod ſi quicum„ que judex, in cujuſcumque clericum abſque cauſa criminali, „ ideſt homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere præſum„ pſerit, quamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, Eccle„ ſiæ liminibus arceatur. „ Ex quibus expreſſe conſtat de cauſa furti licere judici ſæculari inter clericos cognoſcere. Igitur juri conſona erat conſuetudo Ungarica, per quam judici ſæculari permittebatur de furto a clericis perpetrato cognoſcere. Pro cujus canonis expoſitione ſciendum eſt, primis Eccleſiæ ſæculis non ſatis decretam, expoſitamque fuiſſe immunitatem eccleſiaſticam in cauſis criminalibus clericorum; imo conſentiente Epiſcopo licebat judici ſæculari furtum, ſeu delictum mere ſæculare a clericis perpetratum punire, & vindicare, *c.* 1. 2. 3. *&* 4. *cap. clericum* 71. *quæſt.* 1. *cap.* 2. *de foro competent.* unde a PP. Concilii Matiſcon. *in d. can.* 7. permittitur, ut pro tunc in ea Provincia judices ſæculares poſſent furtum, homicidium, aut ſimile maleficium, etiam a clericis perpetratum punire: præſenſerunt Suarez *dict. lib.* 4. *in defenſione fidei*, *cap.* 15. *numer.* 8. Lotterius *dict. quæſt.* 33. qua ſolutione intelligendus eſt textus *in can.* 11. *Concil. Epaun.* in illis verbis: „ Clerici ſine ordinatione, Epiſcopi ſui audire, vel „ interpellare publicum judicium non præſumant: ſed & ſi „ pulſati fuerint, ſequi ad ſæculare judicium non morentur. “ Ubi licet in aliquibus codicibus loco verbi *morentur*, legatur *non præſumant*; retenta tamen vulgari lectione, textus ille referendus eſt ad ea ſæcula, cum ex conſenſu Epiſcopi clericus ob delictum ſæculare conveniri, & accuſari poterat coram judice ſæculari. Poſtquam tamen tot Eccleſiæ legibus univerſalibus prohibitum eſt ſæcularibus Magiſtratibus de cauſis criminalibus cognoſcere, neque conſentiente Epiſcopo tacite, aut expreſſe poteſt clericus ſuper ulla cauſa civili, aut criminali coram ſæculari judice conveniri, ut probat Balboa *in c.* 2. *hoc tit. n.* 50.

13 Exponitur Concilium Pariſienſe. Secundo obſtat textus *in can.* 6. Concilii Pariſienſis 5. ſub Clothario II. celebrati, in illis verbis: „ Ut nullis judi„ cum de quolibet ordine clericos de civilibus cauſis præter „ criminalia negotia per ſe diſtinguere, aut damnare præſu„ mat, niſi convincatur manifeſtus. “ Refert cum aliis canonibus Sauſay *in Panopl. cleric. part.* 2. *l.* 6. *pag.* 700. Ex quibus verbis aperte probatur, Judices ſæculares de cauſis criminalibus clericorum cognoſcere valere. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, ea verba, *præter criminalia negotia*, tranſcripta eſſe ex dicta novella 83. Juſtiniani, quæ cum non recte percalluiſſet Clotharius, generaliter uſurpavit, & in ſuis Capitularibus tranſcripſit: ſed poſtea Carolus, & Pipinus juxta veram eccleſiaſticam diſciplinam ſtatuerant de quocumque crimine a clericis perpetrato Epiſcopos, non vero Judices ſæculares cognoſcere debere, *l.* 5. *c.* 137. „ Sancitum „ eſt, ut nullus Epiſcopum, aut Sacerdotem, vel clericum „ apud judices publicos accuſare præſumat, ſed apud Epi„ ſcopos. *Et* l. 6. *c.* 155. Nullus ex ordine clericorum incon„ ſulto proprio Epiſcopo ad judicem ſæcularem pergat, ne„ que apud eum ſuo Epiſcopo non permittente quemquam „ pulſare, aut cuiquam ante eum reſpondere, aut quicquam „ proponere præſumat, nec criminale negotium in judicio ſæ„ culari proponere audeat. “ Unde prædicta verba Concilii Pariſienſis accipienda ſunt juxta ea, quæ adduximus ſupra pro interpretatione dictæ novellæ 83.

14 Exponitur canon. 4. Concil. Tarracon. Tertio ſupra traditis obſtat canon 4. Concilii Tarracon. a Gratiano relatus *in c. nullus*, 15. *q.* 4. in illis verbis: „ Ut „ nullus Epiſcoporum, Presbyterorum, vel clericorum die „ Dominico propoſitum cujuſcumque cauſæ negotium audeat „ judicare, niſi hoc tantum, ut Deo ſtatuta ſolemnia pera„ gant; ceteris vero diebus convenientibus perſonis, illa quæ „ juſta ſunt, habeant licentiam judicandi, exceptis crimina„ libus negotiis. “ Ex quibus ultimis verbis deduci videtur, Epiſcopum poſſe judicare omnibus diebus, excepto Dominico, & de omnibus cauſis, exceptis criminalibus: ergo de crimine cujuſcumque clerici non poteſt judicare: igitur neceſſario remittendus eſt clericus reus ad judicem, qui poſſit eum punire, nempe laicum. Pro cujus canonis expoſitione dicendum eſt, exceptionem illis verbis comprehenſam, *exceptis criminalibus*, eſſe referendam non ad crimina, ſed ad pœnas, ideſt, ut quidem de omni crimine cognoſcere, & judicare valuerit Epiſcopus, ſed non ad effectum, ut criminalem ſententiam dicat, videlicet ſanguinis pœnam præſcriptam crimini lege ſæculari imponat; quia tunc potius clericum degradatum debet judici ſæculari tradere, juxta tradita *in cap. cum non ab homine*, *hoc titulo*, quia judex Eccleſiaſticus non debet ſententiam ſanguinis proferre, ut dicemus *in c. ſententiam*, *ne clerici*, *vel mon.* docuit Michael Rouſſel. *l.* 4. *hiſtor. Pontif. juriſd. c.* 2. *n.* 24.

15 Reſolvuntur quidam caſus. Pro coronide hujus commentarii exponendi ſunt quidam caſus, qui communiter contingunt, & proponuntur. Primus, utrum qui in ordine ſacro conſtitutus, ex diſpenſatione Pontificia matrimonium contraxit, ſi delictum committat, ſit coram Eccleſiaſtico judice conveniendus, an accuſari poſſit coram judice ſæculari. Et coram ſæculari eſſe conveniendum, tenent Sanchez *de matrim. l.* 8. *diſp.* 7. *n.* 11. Suarez *d. l.* 4. *in defenſ. fidei*, *c.* 28. *nu.* 3. Sed contrarium, & rectius docuerunt Delbene *de immunit. Eccleſ. t.* 1. *c.* 4. *dub.* 10. *nu.* 12. Barboſa *in ſumma*, *collect.* 361. *n.* 10. & 686. *n.* 1. *&* 2. & *in remiſſ. ad Trid. ſeſſ.* 23. *de reformat. c.* 6. *n. fin.* exemplum Anglicanum refert Rouſſellius *l.* 4. *hiſt. c.* 2. *n.* 28. Secundus contingit quando clericus in minoribus conſtitutus Ordinibus dimiſſo habitu delictum perpetravit, & poſtea reaſſumpſit, utrum a judice ſæculari puniri poſſit? Negant fori privilegio eum gaudere Molina, Menochius, & Caballos apud Bonacinam *de cenſuris bullæ*, *diſp.* 1. *q.* 16. *ſect.* 1. *punct.* 2. *n.* 9. ſed probabilius contrarium docent plures, quos laudat, & ſequitur Diana *p.* 1. *tr.* 2. *reſol.* 26. Garcia *in ſumma*, *d. difficult.* 3. *punct.* 2. Tertio idem quæritur de clerico majoribus ordinibus initiato, qui relicto & dimiſſo habitu clericali, enormitatibus ſe dedit? Et cum privilegio fori gaudere docent plures Theologi relati a Diana *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 29. ſed contrarium deducitur *ex c. perpendimus*, *de ſentent. excomm.* & tenent Cujacius hic, & fere omnes Juriſtæ. Idem in Clerico aſſaſſino reſolvunt Farinacius *in praxi*, *q.* 8. & communiter repetentes, *in c.* 1. *de homicidio*, *l.* 5. ſed hoc procedit in vero aſſaſſino, qui ope infidelium homicidium perpetravit, juxta caſum textus *in d. c.* 1. quem refert Spondanus *in continuat. Baronii*, *anno* 1231. *n.* 4. notavit Garcia *de difficult.* 3. *n.* 18. qui numeris ſequentibus agit de clerico reo læſæ Majeſtatis, criminis falſæ monetæ, conſpiratore, & ſeditioſo, de quo etiam agit Solorzanus *l.* 4. *polit. c.* 17. Marinis *l.* 1. *reſol. capite* 55. *cum ſequentibus*, & in illis caſibus, in quibus clerici non gaudent fori privilegio: & quando non conſtat ex actis de de clericatu per titulum Ordinum, & beneficii, remittitur cauſa in Cancellariis judici ſæculari, ſub hac forma: *Haze fuerza en conocer y proceder nulo, y al ſeglar*: adeſt *l. ult. tit.* 3. *l.* 1. *recopil.* agnoſcunt Martha *de juriſdict.* 2. *part. c.* 50. *n.* 17. Seſſe *de inhibitione*, *c.* 5. §. 6. *n.* 59. Gambacurta *de immunit. l.* 6. *c.* 14. Catellius *de priſca & recenti libert. l.* 1. *q.* 14. An autem in caſibus læſæ majeſtatis, vel conſpirationis poſſet Princeps ſæcularis ſaltem ex œcumenica poteſtate perſonas Eccleſiaſticas in exilium mittere, diſputant Frances *de compet. q.* 4. Solorzanus *t.* 2. *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 27. qui plura de hac œconomica poteſtate in Eccleſiaſticos exercenda congerunt.

CAPUT IX.

a Clemente III. b *R. Vuigor. Epiſcopo, & Abbati de* c *Eveshan.*

CAuſam, quæ vertitur inter fratres *d* Dulmon. monaſterii, & monachos ſancti *e* Albani ſuper Eccleſia de N. audiatis, & ap. rem. terminetis. Illud inter cetera ſpecialiter proviſuri, ut fratres Dulmon. Eccleſiæ cum auctoritate, & aſſenſu Epiſcopi cauſam aggrediantur, ne ſi fratres ſancti Albani obtineant, Epiſcopus Dulmon. ſe Abbatem Eccleſiæ proponens, litem ſopitam valeat ſuſcitare.

NOTÆ.

1 a CLemens III.) Ita reſtituendam exiſtimo hujus textus inſertionem ex ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 2. Ita legitur: *Alexander III. Abbatis de Eveshan.* Et ex Concilio Lateran. *p.* 36. *c.* 3. ubi habetur *Clemens III. R. Vuigorn. Epiſcopo*: repono pro Alexandro Clementem III. quia ſi Alexandri fuiſſet hæc deciſio, non juxta ſeriem temporis compilaretur poſt textum præcedentem, qui eſt Lucius III. cui floruit poſt Alexandrum, & ante Clementem III. & cum ex hujus deciſionis contextura appareat duos fuiſſe in præſenti caſu datos Judices, illic, *audiatis*, *terminetis*; non ſine ratione autumabam inſcriptionem eſſe reſtituendam ita, *R. Vuigornien. Epiſcopo, & Abbati de Eveshan.*

b *R.*) Hujus Rogerii mentio fit *in c. quamquam*, *de filiis presbyt.* de Vvigor. Eccleſia aliqua notavi *in c.* 9. *de elect.*

c *Eveshan.*) Monaſterium de Eveshal, eſt Ordinis D. Benedicti, & ejus mentio fit *in c. auditis*, *de in integrum reſtit. c. auditis* 5. *de præſcript.*

d *Dulmon.*) Legendum eſt Dunelmen. ut ex infra dicendis apparebit.

e *S. Albani.*) Etiam monaſterium S. Albani eſt Ordinis D. Benedicti, cujus fundationem refert Yepes *t.* 3. *Chron. D. Benedicti*, *pag.* 318.

2 Textus vera interpretatio. Antequam præſentis deciſionis examen aggrediamur, pro ejus vera expoſitione, & Clementis III. mente percipienda ſciendum eſt, in Inſula Lindisfarnenſi, inter Angliam, & Scotiam fuiſſe olim monaſterium percelebre Ordinis D. Benedicti, cujus Prælatus, Abbas ſimul monaſterii, & Archiepiſcopus Lindisfarnienſis erat: duravit hoc monaſterium uſque ad annum 634. quo tempore majore illius inſulæ parte occupata a Danis, monachi migrarunt in Dunelmiam, ubi etiam Abbas ſimul erat Epiſcopus Eccleſiæ Cathedralis, ut notavi *in capit. contingit*, *de tranſactionib.* & conſtat ex Innocentio III. apud Sirdetum *fol.* 227. Frequenter enim illis temporibus reperiebantur Eccleſiæ Cathedrales in monaſteriis, ubi monachi ſimul Canonici erant, & Abbas Cathedram ipſius tenebat, ut refert Yepes *t.* 1. *ipſius chron. cent.* 1. *an.* 563. *t.* 2. *cent.* 3. *pag.* 382. & *t.* 5. *pag.* 242. & de Dumienſi monaſterio, ſimulque Eccleſia Cathedrali in Gallecia, plura tradit Tamayo a Salazar *in martyrol. die* 20. *Martii*, *pag.* 309. Cum ergo Abbas monaſterii Dunelmenſis eſſet ſimul Epiſcopus, monachi defuncto Abbate, alium in Abbatem, & Epiſcopum eligebant. Matthæus Vveſtimonaſt. *ann.* 1257. ibi: „ Monachi vero Dunelmenſes invocato de ſupernis auxilio, Prio- „ rem ſuum virum diſcretum, & religioſum in Epiſcopum „ ſuum unanimiter elegerunt. “ Epiſcopus ergo officium Abbatis exercebat, Prior vero monaſterii ſecunda perſona, regebat monachos, & in Capitulo præerat adeo abſolute, ut monachi inconſulto Epiſcopo, ſimulque Abbate, tantum cum aſſenſu Prioris poſſeſſiones monaſterii alienabant, negotiaque curabant. Unde conqueſtus fuit Epiſcopus, & Abbas Dunelmenſis horum, & ſimilium exceſſuum coram Innocentio III. ipſe vero Priori, & monachis Dunelmenſibus in hæc verba ſcripſit. „ Sane cum venerabilis frater noſter Du- „ nelmenſis Epiſcopus inter vos vices gerat Abbatis, ne- „ que ei nocere debeat, quod Epiſcopali præemineat digni- „ tate, in his ejus eſt a vobis requirendus aſſenſus, quia „ præter Abbatis aſſenſum vobis agere non liceret. Eapropter „ auctoritate preſentium diſtrictius inhibemus, ne præter con- „ niventiam ejus, vicem ſuper hoc gerentis Abbatis Eccleſias „ aſſigna-

„ aſſignare, alienare profeſſiones, vel conficere ſuper alienationibus inſtrumenta, Priores inſtituere, vel miniſtros, & alia quælibet, in quibus Abbatis eſſet neceſſarius aſſenſus, attentare aliquid præſumatis contra conſuetudinem regularem. “ Unde depromitur vera hujus textus hiſtoria; cum enim monachi S. Albani in judicio litem tractaſſent ſuper Eccleſia quadam cum prædictis monachis Dunelmenſibus, agentibus Dunelmenſibus tantum de Prioris ſui licentia, inconſulto proprio Abbate, & Epiſcopo, monachi S. Albani propoſuerunt coram Clemente III. ſine licentia proprii Abbatis non poſſe Dunelmenſes in judicio comparere, alias illuſorium eſſe judicium. Clemens III. cauſam R. Vvigornienſi Epiſcopo, & Abbati de Eveshan reſcribens, aſſenſum ipſius Abbatis ſimul & Epiſcopi præcedere debere, ne ſi inconſulto Epiſcopo lis terminetur, ipſe ut Abbas monaſterii cauſam jam ſopitam ſuſcitet, ea ratione, quia inconſulto ipſo legitimo Abbate cauſa diſceptata fuit. Et hæc, ni fallor, eſt vera Clementis interpretatio. Nec huic expoſitioni obſtat textus *in c. contingit de tranſaction.* ubi in ſpecie monaſterii Dunelmenſis aſſeritur valide Abbatem, vel Priorem cum litteris Capituli ipſius monaſterii tranſactionem facere poſſe. Igitur ſi in præſenti, ut ſupponimus, cum Prioris aſſenſu, & auctoritate monachi in judicio comparuerant, fruſtra Abbatis, & Epiſcopi voluntas deſiderabatur. Huic difficultati reſpondendum eſt aſſerendo, quod licet in ejus textus ſpecie Epiſcopus Dunelmenſis conſuluiſſet Alexandrum III. ſuper tranſactione a monaſterio Dunelmenſis facta; tamen Pontificis reſponſum generale fuit, nec ſolum ad monaſterium Dunelmenſe directum fuit, unde ea verba Prioris, vel Abbatis referenda ſunt ſingula ſingulis, ideſt, ut monaſteriis, in quibus Abbas ut Prælatus præeſt, ejus auctoritas in tranſactionibus interponatur; at vero in monaſteriis Ordinum mendicantium, ubi Priores præſunt, Prioris conſenſus adhibeatur; unde cum in monaſterio Dunelmenſi, licet per Priorem intra clauſtra monachi regerentur, tamen ejus Prælatus Abbas erat; ideo non ſufficit Prioris auctoritas ad proſequendam cauſam in judicio, ſed potius Abbatis, qui ſimul Epiſcopus erat, aſſenſus deſideratur.

COMMENTARIUM.

3 *Concluſio refertur, & probatur.* His animadverſis pro vera hujus textus interpretatione, concluſio ex eo ita communiter deducitur: *Judex ex officio curare debet, ne aliquod monaſterium ſine Prælati licentia in judicio compareat.* Probant eam textus *in c. monachis* 35. 16. *quæſt.* 1. *c.* 2. ibi: *Abbate imperante*; *de poſtul. cap. edoceri* 21. *de reſcript. cap. ex transmiſſa* 10. *cap. auditis* 14. *de præſcript. c. olim* 17. *c.* 2. *de ordin. cognit.* Conſonat lex 2. *tit.* 5. *part.* 3. Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Vega, Garanna, Barboſa, Melchiore Kling. in præſenti, Padilla *in l. ubi pactum* 12. *C. de tranſaction.* Rodriguez *de modo examin. proceſſ. c.* 3. *n.* 18. Farinacius *in praxi crimin. t.* 1. *c.* 21. *n.*36. Corraſius *opinionum var. c.* 14. *n.* 61. Sanchez *l.* 7. *conſil. c.* 14. *n.* 7. Bobadilla *l.* 3. *polit. c.* 14. *n.* 16. Hevia *in Curia Philip.* §. *n.* 3. Carleval *de judic. t.* 2. *diſp.* 4. *tit.* 2. *n.* 23. Olea *de ceſſ. jur. q.* 9. *tit.* 6. *n.* 3.

4 *Impugnatur hæc aſſertio.* Sed in hanc aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgo: Monachi etiam ratione bonorum proprii monaſterii, placita ſæcularia, Curiaſque Principum adire non valent, *c.* 1. *ne clerici, vel mon.* Concilium Cabilon. ſub Carolo, *can.* 11. „ Epiſcopus ad forum, nec ubi publica negotia judiciaria exercentur, non pergat, ſuæ cauſæ ſuffragaturus; & hoc de Abbatibus, & de Presbyteris, & Diaconis, maxime monachis, obſervandum eſt. “ Et ſi neceſſitate urgente in judicio compareant, non ſufficit Abbatis conſenſus; ſed licentia Epiſcopi deſideratur. Conc. Mogunt. *can.*12. „ Monachi ad ſæcularia placita nullatenus veniant, neque Abbas ſine conſenſu Epiſcopi ſui; & cum neceſſitas exigit, tunc per juſſionem, & conſilium Epiſcopi illuc vadat, nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præſumat, ſed quicquid quærendum, vel etiam reſpondendum ſit, per advocatos ſuos hoc faciat. Abbates, & monachi querelam omnino devitent. “ Referunt Carnotenſis *p.* 7. *Decreto*, *c.*89. Ant. Aug. *in epit. l.*29. *tit.* 5. Igitur nec cum Abbatis licentia, & conſenſu monachi Dunelmenſes poterant in judicio comparere. Secundo difficilis redditur hæc aſſertio ex eo, nam ſi monachi non poſſent ſine Superioris licentia judicio comparere, acta cum ipſis non valerent, ut geſta cum illegitimis litigatoribus, ut probavi *c.* 1. *de procurat.* ſed ab ipſis acta in judicio vires habent, ut conſtat ex hoc textu, in illis verbis; *Litem ſopitam valeat ſuſcitare*. Ex quibus conſtat, litem cum monachis abſque licentia Prælati litigantibus fuiſſe valide deciſam, ut notavit Cujacius *in præſenti*. Igitur quia Monachi inconſulto proprio Prælato in judicio comparere poſſunt.

5 *Legitimandi ſunt litigatores.* Adhuc tamen defendenda eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, in omni judicio, tam civili, videlicet etiam executivo, quam criminali, ante omnia legitimandas eſſe perſonas litigatorum, ne alias, ſi perſonæ incapaces in judicio compareant, illuſorium reddatur judicium, *l. qui ſtipendia* 9. *l. licet* 24. *C. de procurat. l. non ignorat* 9. *l. ſi quis* 30. *l. ſi liberti* 21. *C. de his qui accuſare*, *c.* 1. *de accuſat.* docent, innumeris ab eis relatis, Caſtillo *l.*3. *controverſ. c.*24. *n.*130. Carleval. *de judic. tomo* 2. *tit.*2. *diſp.*4. Vergilius *de legit. perſonar. in prælud. ex n.*10. Parexa *de inſtrument. edit. tit.* 2. *reſol.*2. & *tit.*5. *reſol.* 10. Cæſar Argellus *de legitimo contradict. q.*11. *art.*3. *n.*24. Noguerol *allegat.*25. *n.*4. Salgado *de regia protect.*2. *part. c.*6. *a n.* 58. Hoc tamen diſcrimine adhibito, ut in cauſis executivis ſtatim actor teneatur perſonam legitimare; in cauſis vero ordinariis intra litis anfractus, ut late reſolvunt Carleval, & Parexa *ubi proxime*. Et licet judex alias non teneatur parte non petente officium ſuum impartiri, *l. fin. C. de petit. hered. l.*4. §. *hoc judicium*, *ff. de damno infecto*, juncto Schifordeghero *l.*2. *tr.*23. *q.* 1. Hunnio *vol.* 1. *in Treutl. diſp.* 19. *theſi* 1. tamen etſi nemo opponat, poteſt illegitimum litigatorem a judicio repellere: ex noſtro textu docent Vergilius *ſupra n.*16. Pichardus *in manuduct. ad praxim*, 1. *p. præcepto* 1. imo in cauſis executivis judicem ex officio non repellentem illegitimum litigatorem, teneri ad intereſſe, quia publice intereſt, ne judicia reddantur illuſoria, *ex l.* 34. *tit.*3. *l.*4. *recopil.* probat Olea *de ceſſione jurium tit.*6. *q.* 9. *n.* 5.

Secundo ſciendum eſt, Capitulum ſine ſui Prælati licentia, & Prælatum ſine conſenſu Capituli non poſſe res monaſterii alienare. Concil. Cabilonenſ.1. *c.*7. Meldenſe *can.* 41. & 42. Greg. IX. *in conſtit. Benedicti*, ibi: „ Statuimus ne aliquis Abbas, vel Prior, Prioratum, vel grangiam in perſonam aliquam venditionis, aut donationis, ſeu aliquo alio titulo alienare abſque Abbatis Patris, vel Patris Prioris, & Conventus ſui conſenſu præſumat. “ Plura cumulat Creſpetius *in ſum. verbo Monaſteria*: neque poteſt diſtrahere eorum facultates. Et quia qui non poteſt alienare rem, non poteſt eam in judicium deducere, *l. ait Prætor*, *ff. de jure delib.* ideo monaſterium per ſe ſine conſenſu Abbatis, & Abbas ſine conſenſu Capituli recte in judicio comparere non valent, ſi bona ſint communia; ſi autem ſint diſcreta, Abbas, per ſe, ſeu monaſterium propria bona defendere valent, *c. edoceri*, *de reſcriptis*, *c. auditis* 15. *de præſcript. c. olim* 17. *de reſtitut. ſpol. c. ex tranſmiſſa* 10. *de præſcript.* & omnes alios actus ad Capitulum ſpectantes Abbas peragere non valet, niſi de conſenſu ipſius, *c. nobis*, *c. cognoſcitur*, *de his quæ fiunt a Prælat.* Lambertinus *de jurepatron. p.*1. *q.*2. *n.* 2. & 3. Sanchez *l.* 7. *ſummæ*, *c.*14. *n.* 7. Nec obſtat textus *in c. ex litteris* 7. *de jurepatron.* in illis verbis: *Poſtmodum Abbatiſſa*, &c. Nam etſi verba illa non deciſionem, ſed ſimplicem narrativam contineant, ut agnovit Lambertinus, tamen ita exaudienda ſunt ut ſupponant conſenſum conventus præciſe, ut docet Sanchez *ubi ſupra*, *n.* 7. 6 *De licentia Prælati.*

Quibus ita obſervatis, apparet jam ratio præſentis deciſionis; nam cum Abbas Dunelmenſis, pariterque Epiſcopus, Prælatus eſſet monaſterii Dunelmenſis, & monachi S. Albani actionem intenderent adverſus ipſum monaſterium, Eccleſiamque peterent ad prædictum monaſterium, & Abbatem ſpectantem, debebat præcedere Abbatis conſenſus, ut monachi in judicio eſſe poſſent, & adverſario reſpondere; alias cum legitimam perſonam ſtandi in judicio non haberent, illuſorium redderetur judicium; recte Pontifex decrevit, ante omnia conſenſum Abbatis ſimul & Epiſcopi adhibendum eſſe, ne ſi monachi S. Albani in judicio obtinerent, Epiſcopus Dunelmenſis tamquam Abbas ipſius monaſterii litem ſopitam ſuſcitaret ex eo, quod eo inconſulto judicatum erat; quam deciſivam rationem illuſtrant Balboa, Garanna, & Fermoſinus hic. 7 *Traditur ratio decidendi.*

Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima; nam textus in ea adducti procedunt, quando monachi per ſe volunt in judicio intereſſe, & Curias forenſes adire; hoc enim illis prohibitum eſt. Conc. Meldenſe *can.*57. Cabilon. 1. *can.* 15. Clement. 1. §. *quia vero*, *ſtatu monach.* docet late Gibalinus *de clauſur. diſquiſit.* 2. *c.* 2. *n.* 29. debent enim ſyndicum conſtituere, per quem forenſia peragant: ut late probavi *in c. unico de ſyndico*. Etiam textus illi, dum ſupponunt neceſſarium eſſe Epiſcopi conſenſum, ut monachi in judicio comparere poſſint, exaudiendi ſunt de illis monaſteriis, quæ ex lege, & juriſdictione diœceſana parent proprio Epiſcopo, ex generali regula textus *in c. omnes* 16. *q.* 1. in monaſteriis vero exemptis regulariter Epiſcopi conſenſus non deſideratur. Nec ſecunda difficultas adverſatur, ſententiam latam in favorem monaſterii litigantis ſine licentia Prælati, validam eſſe, ut docent in præſenti Immola *n.* 1. Felinus *n.* 6. Joannes Andreas *n.* 7. Decius *n.* 5. Abbas *n.* 11. Alexander *n.*4. ubi enim ſolemnitas aliqua in certæ perſonæ utilitatem principaliter requiritur, actus ea deficiente celebratus ſubſiſtit, ut utilis ſit ipſi perſonæ approbanti, & ratum habent, ut *ex l. cum hi* 8. §. *eam tranſactionem*, *ff. de tranſact. c. ſi qua de rebus*, 12. *q.* 2. probant Tiraquellus *in tr. le mort*, *p.* 7. *a n.* 6. Pinellus *in l.* 2. *C. de bonis matern. matern.* 3. *p. num.* 30. Sarmient. *de reddit.* 1. *p. c.* 2. *n.* 8. Caldas *in l. ſi curatorem*, *verbo hunc contractum*, *n.* 7. Seraphinus *deciſ.* 83. *n.* 52. unde cum auctoritas, ſeu conſenſus Abbatis deſideraretur ob ejus commodum, & monaſterii utilitatem, ſi ea omittatur, ſententia in monaſterii utilitatem prolata vires habet. 8 *Reſpondetur difficultatibus.*

C A P U T X.

Cæleſtinus III. *Brunduſienſi Epiſcopo.*

Cum non ab homine; *b Et infra*: A nobis itaque fuit ex parte tua quæſitum, utrum liceat *c* Regi, vel alicui ſæculari perſonæ judicare clericos cujuſcumque ordinis, ſive in *d* furto, ſive in *e* homicidio, vel *f* perjurio, ſeu quibuſcumque fuerint *g* criminibus deprehenſi. In prima ergo conſultatione taliter reſpondemus, quod ſi clericus in quocumque ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, ſeu alio mortali crimine legitime fuerit deprehenſus, atque *h* convictus, ab *i* Eccleſiaſtico judice *k* deponendus eſt. Qui ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumacia creſcente *l* anathematis mucrone feriri; poſtmodum vero ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cum Eccleſia non habet ultra quid faciat, & ne poſſit ultra eſſe perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia pœna legitima inferatur.

N O T Æ.

1 a Clemens III.) In hac ſexta collectione, & in ſecunda, *ſub hoc tit. c.* 3. tantum legit Cæleſtinus III. Cujacius autem ſupplendum exiſtimat: *Strigonienſi Arciepiſcopo*, motus ex auctoritate textus *in c. cum non ab homine* 14. *de ſentent. excomm.* ubi alia pars hujus textus reperitur, & reſcribit Pontifex Archiepiſcopo, mentionemque facit cujuſdam Regis; quare Strigonienſi Archiepiſcopo miſſam fuiſſe hanc deciſionem Cujacius conteſtatur. Sed hac doctiſſimi viri ſententia omiſſa, legendum exiſtimo, *Brunduſienſi Archiepiſcopo*, ut legitur *in c. verum*, *de jurejur. in* 2. *collect.* ubi eſt alia pars hujus textus, & concipitur inſcriptio Brunduſienſi Archiepiſcopo, ex qua reſtituenda eſt præſens inſcriptio. Brunduſium, ſeu Bretenſium, a Brento Herculis filio, urbs ita dicta, exſtat in finibus Italiæ ad mare Jonium, urbs longe celebratiſſima, ex commodiſſimo portu, de quo Silius Italicus, ibi:

Necnon Brunduſium, quo deſinit Italia tellus.

Eſt civitas maritima, propter portum toto terrarum orbe notiſſima, de ea Ennius.

Brunduſium pulchro præcinctum præpete portu.

Appulſu navigantibus e Græcia, atque Italia commodiſſima, *l.* 1. & 3. *leg.* 4. §. 1. *l.* 5. *ff. de nautico fœnore*: ejus mentio extat *in leg. qui Romæ* 122. *ff. de verb. oblat.* quam pro dignitate exponit eruditus D. Joan. Ramos in Regali Gazæ conſilio jam diu Conſiliarius. Solebant Romani, dum ex urbe peterent Græciam, recta tendere Brunduſium, & inde conſcendere. Tullius *in ſua Philippica* 1. innuit: „ Cum Brunduſium, iterque illud, quod tritum in Græcia eſt, non ſine cauſa vitaviſſem, Kalend. Sext. veni in Syracuſas, quod ab ea urbe tranſmiſſio e Græcia laudabatur. “ Plura de ipſius civitatis origine, & amplitudine tradunt Joan. Juvenis *de Principatu Tarentino*, *c.*7. Aloix *ad vitam S. Aburci*, *c.*13. Habet Eccleſiam Metropolitanam, cujus præſul præſentatur a noſtro Monarcha, & examinatur a Romano Pontifice.

2 b Et *infra*. Deſunt aliæ partes, quæ extant *in d. c. verum*, *de jurejur. in d. collect. & in c. cum non ab homine de ſent. excom.*

c *Regi.*) Tarentino videlicet: Brunduſium enim, vulgo *Brindez*, eſt in Principatu Tarentino, cujus ſolium, ſceptrumque tenebat Clementis III. temporibus Henricus Friderici Barbaroſſæ filius, cui adhuc adoleſcenti Cæleſtinus III. Conſtantiam Rogerii Regis Siciliæ filiam, jam Deo dicatam, e cœnobio Panormitano eductam ſimul cum Regni Siciliæ juribus matrimonio conjungendam curavit, ut refert Joannes Juvenis *ubi ſupra*, *c.* 3.

3 d *Furto.*) Clericum furtum committentem ab Ordinibus ſuſceptis eſſe deponendum, probat textus *in c. non liceat* 47. 22. *q.*2. *c. quoniam* 39. *q.*3. *c. Apoſtolicos* 13. 12. *c. presbyter* 12. 81. *diſt. c. ſi quis* 22. 50. *diſt.* & alii congeſti ab Anton. Aug. *in epit. l.* 39. *tit.* 9. Nec contrarium probant textus *in c. tuæ*, *de pœnis*, cujus interpretationem adducit Balboa *in præſenti*, ideo conſulto omittimus.

4 e *Homicidio.*) Propter homicidium Clericos eſſe deponendos aperte ſtatuitur *in can.* 66. *Apoſt. c.*5. *c. ſi quis pro* 9.51. *diſt. c. Presbyter* 1. *diſt.*51. & aliis juris locis congeſtis ab Antonio Auguſtino *in epitom. jur. l.* 39. *tit.* 26.

5 f *Perjurio.*) Clericum etiam perjurum deponi a gradu recepto, docetur *in c. ſi quis Presbyter*, 81. *diſt. c. id conſtituimus* 36. 17. *q.*4. Conc. Carthag. 2. *can. ult.* Si quis contra ſuam „ profeſſionem, vel conſcriptionem venerit, ſi clericus fuerit, deponatur; laicus anathematizetur: “ & aliis juris locis congeſtis ab Antonio Auguſtino *in ep. l.* 34. *tit.* 6.

6 g *Criminibus.*) Ut blaſphemia, *c. ſi quis* 5. 26. *q.*3. ſchiſma, *c. conjurationum*, 11. *q.*1. iteratio Baptiſmi, *c. qui in quolibet* 10. *q.* 7. revelatio confeſſionis, *c. omnes* 12. *de pœnit. & remiſſ.* ſimonia, *cap. Salvator*, 1. *quæſt.* 1. & alia ſimilia, quæ enumerat Anton. Auguſt. *d. l.* 39. *per totum*, Moneta 2. *p. de diſtrib. q.* 17. Marius Alter. *de cenſ. part.* 2. *c.* 6. Sayrus *eod. tr. l.* 5. *c.* 21. & 22. Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 100. Layman *l.* 1. *ſummæ*, *p.* 3. *tr.* 5. *c.* 5.

h *Convictus.*) Juxta ea quæ adduxi *in c. at ſi clerici* 4. *hoc titul.*

i *Eccleſiaſtico.*) Judex enim ſæcularis de his criminibus a clericis perpetratis cognoſcere non valet, ut late probavi *in c. clerici* 8. *hoc tit.*

k *Deponendus.*) Verbaliter videlicet, ut infra dicemus.

7 l *Anathematis mucrone.*) Sed ſi jam clericus incorrigibilis excommunicatione majori ligatus erat, ad quid novo anathematis mucrone feritur, cum anathema, & excommunicatio non differant vi, & effectu; quare promiſcue anathema pro excommunicatione, & e contra a Sanctis Patribus uſurpantur, *c. debent* 106. 11. *q.*3. *c. certum* 9. 24. *q.* 3. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 3. notarunt Panormit. *in præſenti*, *n.* 13. Beyerlinch *t.* 1. *in theatro*, *verbo Anathema*. Suarez *de cenſur. diſput.* 8. *ſect.* 2. *n.* 6. Sayrus *in theſauro l.* 1. *c.* 3. *ex num.* 5. Gibalinus *de cenſur. diſq.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Agnoverunt difficultatem omnes, tam antiqui, quam recentiores repetentes in præſenti: ſed pro ejus ſolutione ſciendum eſt, vocem *anathema* (ſive hebraica, ſive Græca ſit) varia ſignificare: aliquando accipitur pro ſeparatione, ſeu ſegregatione. D. Anaſtaſius *epiſt. ad Rom. c.* 9. Anathema eſt ſane ſejunctio quædam, & alienatio, veluti dona, quæ dicata Diis, ſuſpenduntur in parietibus, & columnis templi, quæ anathemata dicebantur, eo quod a profanis ſegregarentur, *c. certum* 24. *q.* 3. *c. evidenter* 11. *q.* 3. *c. notandum* 23. *q.* 3. Unde apud Gentiles homines ſacri, Diis manibus devoti atque ſacrati, ut ad civitatem expiandam mactarentur, ut fuit Sino, de quo Virgilius *l.* 2. *Æneid.* anathemata dicebantur, ut probat Pancirola *l.* 1. *var. c.* 87. ſimiliter apud Judæos anathema dicebatur animal illud, ſuper cujus caput omnia peccata imponebantur, atque ita immolabatur. Probat Marius Alterius *de cenſuris l.* 1. *diſp.* 2. *c.* 1. quo in ſenſu accipi poteſt illud Apoſtoli *ad Romanos c.* 9. *Optabam ego eſſe anathema pro fratribus meis*; id eſt ſeparari, offerri, atque mactari pro fratribus meis: notarunt Ludovic. Balleſter *part.* 1. *onomatograph. verbo Anathema*, *pag.* 12. Frequentius tamen anathema accipitur pro execratione, & maledictione; & anathematizare pro execrari, ut apud D. Marcum, ubi legitur *c.* 14. D. Petrum cœpiſſe anathematizare, & jurare, ſe Dominum non noviſſe; etenim ibi anathematizare accipitur pro execrari, & ſibi maledicere, ut docent Covarr. *in c. alma*, 1. *p.* §. 8. *n.* 6. Suarez *de cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 2. quo in ſenſu accipitur *in c. ego*, *de conſecr. diſt.* 2. Hæc execratio ſolemniter in Eccleſia facta dicitur anathema; & ipſius excommunicati anathematiſmus, eſt veluti auxeſis, & aggravatio deteſtationis contra excommunicatum contumacem, & excommunicationem præcedentem auget, non ſubſtantia ſegregationis, ſed horrore majorum execrationum; fiebatque olim cum conſcientia Archiepiſcopi, & Coepiſcoporum, atque in præſentia duodecim Sacerdotum, *c. nemo* 41. *c. debent* 106. 11. *q.*3. *c. Guiliſarius* 30. *verſ. cum Epiſcopis*, 23. *q.* 4. *c. corripiantur* 17. *verſ. Quia & ipſa*, 24. *q.* 3. ut obſervatum fuit cum Engeltruda, de qua *in c. ult.* 3. *q.* 4. & refert Baronius *anno* 865. & ex Concilio Lemovicenſi notat ipſe *tom.* 11. *anno* 1134. hodieque cum anathema profertur candelæ accenſæ extinguuntur in aqua, campanæ pulſantur, & crux nigro velo cooperitur; de quibus, & aliis cæremoniis plura poſt plures tradunt Sayrus *de cenſur. l.* 1. *c.* 15. Franc. Marcus *deciſ.* 858. *n.* 2. Sorotius *de offic. vicar. l.* 2. *q.* 170. *n.* 1. Caſtro *de juſta hæretic. punit. c.* 20. Gambarupta *de caſibus reſervatis c.*4. *n.* 7. Gibalinus *de cenſur. diſquiſit.* 6. *q.* 3. *num.* 8. unde in hoc textu, & *in d. c. Engeltrudam*, *c. nemo*, 11. *q.* 3. & *aliis*, poſt excommunicationem anathema indicitur, id eſt excommunicatus ſolemniter execratur & maledicitur; non tamen ſubſtantia ſegregationis magis per anathema, quam per excommunicationem Sacramentis Eccleſiæ, & communione fidelium privatur. Alia proſequuntur de anathematis etymo, ritibus, & origine ultra ſupra laudatos, Zonaras *in notis ad Synodum habitam in templo Sophiæ*, *can.* 3. Baronius *tomo* 1. *anno* 57. *nu.* 169. & *anno* 258. *n.* 32. Theophilus *t.* 14. *de litteris monit. l.* 2. *c.* 7. Covarr. *dict.* §. 8. *n.* 6. Serrarius *t.* 2. *in Joſue*, *c.* 6. *q.* 33. Lorinus *in c.* 23. *Actuum Apoſtol.* 12. Cironius *ad tit. de ſentent. excommun.* Spondanus *de cœmeteriis*, *l.* 4. *part.* 1. *c.* 2. Broncenſis *paradox.* 1. Schachus *de vener. Sanct. ſect.* 9. *c.* 8. Lindembrog. *in gloſſar. verbo Anathema*, Salmanticenſis noſtri Lycæi Primarius Illuſtr. Doctor D. Franc. Ramos in ſupremo Caſtellę, & Cameræ Senatu jamdiu egregius Conſiliarius, & Magni noſtri Monarchæ Magiſter, *in memor. ad Alex. VII. propoſ.* 4. §. 2. *n.* 88.

Sed ut nihil intactum relinquamus, ſciendum eſt, huic voci plerumque adjungi maranatha, ut *in c. Guiliſarius* 20. 23. *qu.* 4. Concil. Sinueſſan. *in fine*, Tolet. 4. *can.* 75. quæ vox ſignificat adventum Domini; ac proinde cum infligitur excommunicatio per hæc verba: *Sit anathema maranatha*; perinde eſt ac ſi dicatur, ſit excommunicatus ſi non reſipiſcat uſque ad adventum Domini. Toletan. 4. *dicto canon.* 75. *Qui contra hanc noſtram definitionem venire præſumpſerit, maranatha, hoc eſt perditio in adventum Domini.* Div. Hieronymus *epiſt.* 137. Div. Auguſtinus *in epiſt.* 178. ubi D. Pauli locum 1. *ad Corint. cap.* 16. exaudit: *Anathema græco ſermone dixit* 8 *De maranatha.*